

05

A

1922





Q. D. B. V.

DE

METHODO
AUGUSTINIANA

CONTRA WALENBURCHIOS,

PRÆSIDE

DN. M. JO. GEORG.

Neumann /

FACULT. PHIL. ADJUNCTO,

DNO. PATRONO ET PRÆCEPTORE
ÆTATEM COLENDO,

DISPUTABIT

MARTINUS LUBATH,

BERL. MARCH.

AUCTOR-RESPONDENS

A. O. R. cl. lxx. XXCIX. AD. D. JUL.

H. L. Q. C.



VITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.



05 A 1922

fit
te
qv
tu
fe
nu
de
pa
no
cu
pu
ta
im
ph
lo
de
co





§. I.

HX quo singulari Dei beneficio contigit, ut diuturnis cum tenebris coluctata caelestis veritas, suo tandem splendore perfuderit omnia & collustrarit: ringente passim invidia, adeo nulla quietis & tranquillitatis spes affulsit, ut acerbissimis contra odiis patuerit locus, & quicquid, texti calumniarum, quas artes in deliciis habent mali, quicquid convitiarum excogitari potuit, certatim in hunc coetum nostrum cumulatimque fuerit effusum. Jam enim ferro & flammis rem agere, & militum potius, quam rationum educere copias, jam communis Concilii autoritate definire controversias, & classicum canere: ipsius etiam pacis blandissimam praese ferre speciem; nihil denique non ausi Romanae sedis vindices, quo imminui puriorem cultum ac prosterni aliquando posse sperarent. Sed cum pugnas & praemia machinasque omnes eliserit invicta veritas, eoque aucta & amplificata sit magis, quo vehementius impugnata; callidiori deinceps reperto consilio, ad Sophistarum se recepere latebras, & quas ne altero quidem loco posuere, Sacras literas, nunc pro norma quodammodo amplecti: priscæque Ecclesiae testimonium, cujus vix colorem aliquem & umbram referunt, jactitare passim in

cipiunt, illudque in se suscipere patrocinium, contra quod atrocissima olim bella gesserunt.

§. II.

Ac vetustatis quidem specie, ut eò tutius fallant isti, S. Augustini Hipponensium Præsulis venerabile obtendunt nomen, quem nemo nescit, tam promptum indole, iudicio acrem, & disertum ore fuisse, ut cum adversus Donatistarum molitiones pro orthodoxa fide decertaret, omnes hostium impetûs, totius Ecclesiæ applausu sustinuerit, argutiasque malorum scitè confutarit. Ob quod insigne ejus certamen, non modò præclarum ab omni antiquitate elogium sustulit, sed & in hanc ætatem nostram tanta ejus superest virtutis fama, ut Cornelius Jansenius, strenuus Augustini promachus, *hunc unum dicat ab omni argumento sacro plenissimè instructum, eoque præditum acumine, cui nec Aristotelis nec Archimedis, aut alius cujusquam sub cælo ingenium unquam responsurum existimet. Vid. Synopsis Vitæ Jansen. Operi Augustiniano præfixa.* Quo quidem encomio haud facilè ornarent nostrum, nisi Scripta illius, quæ protrahunt in scenam, fraudibus dolisque onerarent, modumque confutandi Hæreticos, ex iisdem exculperent, bonis omnibus maximè insidiosum. Neque verò quisquam Augustini libris sese abdidit infelicius, aut dicta placitaque ejus vehementius contorsit, quam Fratres de Walenburch, Hadrianus & Petrus, Roterodamo-Batavi, quibus ob desertam ejuratamque Reformatorum religionem, id datum præmii fuit, ut Adriapolitani Episcopi alter, alter verò Mysiensis Episcopi & Moguntini suffraganei titulum consequeretur. Uterque in Augustino reperisse sibi visus est artem convincendi adversarios, & inauditam priscis seculis, ut illi opinantur, & omni posteritati admirandam; quam proinde conjunctis, ut apparet, viribus confectam, *Methodi Augustiniane* titulo ediderunt

M.

M. DC. XLV. Jam animus erat sic tractare veritatis causas, ut, quod B. Dannhaueri, memineram alicubi desiderium fuisse, Augustinus vindicaretur ex Augustino ipso, erroresque falso illi afficti, hæreticis ipsis remitterentur; sed dilato in aliud tempus labore isto, nunc ad sanioris Philosophiæ principia revocabo singula, & conversis retrò, quæ torquentur in Augustinum, fulminibus, evincam: Sophistas potius & qui cum illo certabant, Donatistas hisce fallaciis, usos fuisse, quibus nunc dementatæ plebi imponunt adversarii nostri, & speciosis laqueis nimium credulos innectunt. Equidem cum adversus has machinas tot Protestantium dimicarent phalanges, & jam pridem unitis viribus prostraverint Hydram: mirum videri possit, cur imperitior ego, nec in acie multum conspectus capessere pugnam, & ponè tot pectora hostibus objecta, collatis tantum eminens signis militare audeam. Verum & succenturiatò milite opus esse credidi, qui antesignani vindicet cladem, & Cadmèum semen subinde profiliens obterat iterum atque contundat.

§. III.

Itaque cum Walenburchiis Fratribus ubi congregior, non singulis eorum opinionibus recensendis operam nunc infumam, quo pacto communia illa & ad fastidium excussa nostris: de Romanæ fidei principio, de Ecclesiæ Antiquitate, Pontificis Romani infallibili iudicio, & hujus generis infinita hic forent explicanda: sed succinctè breviterque attingam causæ præsidium, quo tantopere inniuntur illi, & plus quam thrasonicè gloriantur. Ita enim *ἀσπίς* suū efferunt sub initum operis: *Damus pro defensione, scutum auxilii, pro victoria gladium glorie, utrumq; magno Augustino usitatum. Quanto terrori hæc arma fuerint Protestantibus, Evangelicis, Reformatis, quibusvis tandem censerit velint nominibus, vix ulli ignoratur.* Hinc ita

pergunt p. 5. admirata est posterior atas inventionem horo-
logiorum ingeniosam subtilemque inter eas artes, quas docta
celebravit antiquitas. Verum non minimam illud obtinet
commendationis partem, quod horologium licet arte pauco-
rum, usu tamen omnium sit, & quod à paucis instituitur ac
conficitur, à singulis tunc & certo regatur: huic inventioni
non ab similem aestimamus futuram Methodum, quam post
admod. Rev. P. Gontierum è Societate Jesu, & eximium
Dominum Franciscum Veronium S. Theo!, Doctorem, & pro
controversiis fidei Regis Christianissimi concionatorem pro-
ponimus. Ipsa enim ejus constructio, multorum exercuit
ingenia, & omnium partium convenientia, planam dire-
ctamque agnoscendi luminis increati demonstrat viam. Tanta,
ajunt Part. 2. cap. 3. p. 61. est hujus artis facilitas, ut non re-
quiratur cognitio lingvæ Hebraicæ, Græcæ & Latine, sufficit
enim si quis possit legere Biblia vulgaris, ab adversariis trans-
lata, si conferat eorum allegationes cum textu Scripturæ.
Hoc enim modo etiam rusticus contra doctis. predicantem
evincit, nihil sine additione, detractioe & mutatione, legi
in Scripturis quod adversariorum fidem probet, aut nostram
condemnet. Tantam hujus methodi vim esse, tantumque
ex ea fructum atque emolumentum in omnes partes re-
dundare jactitant.

§. IV.

Quo in genere cum multo quam par erat, ambitiosius
agant: intelligere plenius juvat, quæ sint artes illæ atque
præstigiæ, quibus circumvenire multitudinem atque illice-
re subdolè conantur. Referenda verò singula in compen-
dium sunt, summisque capitibus saltem perstringenda.
Primò *Defensionis Viam* deligunt: adeoque præcipiunt suis
ut in disputandi negotio negantium partes sustineant,
nunquam verò ad probandum adigi se patiantur: *observa-
bis*

bit Catholicus inquit Walenburchii p. 23. ut maneat defendens, nec probantis partes suscipiat, ante plenam adversarii humiliationem. Respondebit breviter & clarè, sicut enim pratoris est, tribus verbis, lites dirimere, do, dico, addico: Ita catholici defendentis est, tribus voculis respondere: concedo, nego, distingo, ut multiloquium adversarii cohibeat, urgebit formam Syllogismi. Neque tantum negandi munus sibi vindicant, sed nec ad reddendam negationis rationem ullâ se teneri lege affirmant. Ita Franciscus Veronius, quò Batavi nostri Præceptore usi sunt, nostrarum inquit partium est nulla negationis nostra causa data, quæ referuntur neque convincunt, fortiter negare. Defensionis munus est objecta diluere actorum qui si nihil probationis in medium afferant, calumniarum convicti poenas solent pendere suæ criminationis & damna rei sarcire in *Methodo Veron.* p. 117. & 119. Atque hac via defensionis ut vocant, cur incedendum sit: duas potissimum rationes allegant, quarum primam ex conditione accusati petunt quo se nomine perpetuò tuentur. *Qui accusatur* inquit Batavi p. 33. v. g. homicidii, non probat innocentiam nisi refutando accusatoris argumenta, quibus refutatis absolvitur. Nos qui accusamur docere contra mandatum Christi, communionem sub una specie esse licitam, & doctrinam de purgatorio prodiisse ex officina Satanae, eadem cautela tuti erimus & facili modo defendemus innocentiam fidei catholicae, contra eos qui nos accusant & condemnant. Alteram verò desumunt à jure ac titulo præscriptionis. Sanctiones enim de præscriptione temporis jure positivo ad extinguendas lites & firmandas possessiones passim introductas illi ad fidem & religionem transferunt, perindeque ac jura civilia de agris & fundis & huc facientibus actionibus statuunt, ita quoque de dogmatibus fideique articulis

lis decernunt. *Catholica Ecclesia antiquissima prescriptionis titulo & successionis jure fidem Christi possidebat donec post annum millesimum quingentesimum inventi sunt, qui eam accusarent. Si diuturna consuetudo praesumitur legitime introducta: Si praxis SS. Patrum & universalis Ecclesiae non est temere rejicienda, habemus profecto efficacem v. g. pro invocatione sanctorum praesumptionem. Quapropter audiendi non erunt adversarii nisi eas afferant v. g. contra invocationem Sanctorum rationes, quae sufficiant ad tollendam professionem, ad repudiandam consuetudinem, ad negligendam praxin SS. Patrum, & ad contemnendam, imò condemnandam & conculcandam observationem universalis Ecclesiae. Method. August. p. 23.*

§. V.

Alterum hujus methodi momentum est, quod *viam probationis*, ut vocant, quoties cum adversariis congregiuntur, studiosè declinant. Cum enim actores censeant illos quibus litem intendunt; & verò adducere testes non ejus sit, qui reus agitur, sed qui accusat: extra probandi aleam consistere satius ducunt, ipsiusque causæ iudices sedere & interrogando, cavillando, postulandoque ulteriores probationes, fatigare accusatorem, donec factæ à Romano coetu secessionis causam afferat, admisiqve sceleris dolore afficiatur. Fatentur illud Fratres Batavi cum *facilius esse* ajunt *defendere quam rectè probare p. 181.* Quin & benignius nobiscum agi arbitrantur, quod probandi permittant munus nec ab omni disputatione nos suspendant. Hinc Dannhauero talia ipsis exprobranti respondent: *magis clamares, Dannhauere, Si cum Tertulliano arceremus Lutheranos ab omni disputatione: nec eosdemmitteremus nisi ex mera indulgentia. Sed mitius agimus, qui illis onus probandi non tribuimus, de quo nobis non sit liquidum.*

Vid.

Vid. Walenburchios in *Somniis Polemosopia Sopsistica*. p. 9.
Neque tantum affirmantium sed & negantium probatio-
num genera nostris imponunt: Cujus rei tres potissimum ra-
tiones afferunt: (1) quod sint actores, actori autem inquirunt,
incumbere onus probandi sive affirmet sive neget. Apud o-
mes in confesso est, qui dicit Cajum occidisse Sempronium;
accusat affirmat, & tenetur probare homicidium. Qui di-
cit Titium non justo titulo possidere domum suam, actor est,
negat, & tenetur probare; qui dicit uxorem S. D. non esse ho-
nestam: accusat negat & obligatur ad probationem. Simi-
lis ratio est, in materia religionis v.g. multis retrò seculis cre-
ditum fuit, doctrinam de Purgatorio ex verbo Dei tam scri-
pto quàm non scripto descendere. Dicunt adversarii, eam
doctrinam figmentum ex officina Satanae, rem futilem, fatu-
um & anile commentum: ingens procul dubio accusatio, tot
seculorum doctores, in officina Satanae articulos fabricasse
fidei: catholicae: rebus inutilibus Ecclesiam Dei opplevisse fatuis
& anilibus commentis, fideles Christi sanguine redemptos
pueriliter dementasse, quanta qualisque est accusatio, tan-
tum crimen erit, talisq; calumnia nisi debite vindicetur. Me-
thod. p. 28. (2) Quod sint reformatores: unde ajunt adver-
sarii p. 28. Quicumq; accusat alium nisi justificet, accusatio-
nem, temerarius accusator est, Item: Quicumq; pretendit
errorum correctionem & reformationem, nisi erroris demon-
stret imprudens corrector est & reformator. Rursum: qui-
cumq; segregat se a priore eommunionem nisi causas separa-
tionis dederit, frustra recedit. Sed adversarii nostri accu-
sant Ecclesiam catholicam, pretendunt errorum correcti-
onem, segregant se à priori communionem, ergò nisi justifi-
cent accusationem, temerarii accusatores sunt: nisi errores
demonstrant, imprudentes correctores sunt & reformato-
res. Latius hæc diducit & syllogistica forma complecti-

B

tur

tur Bartholdus Nihufiq in *Morosopho contra Vedelium* p. 22.
(3) Quod recesserint ab Ecclesia. *Recesserunt ab unione Ecclesie catholice, inquit p. 25. Segregarunt se ipsos à priore, in qua erant communione: etenim sciebant superioribus obediendum esse, eos Dei ordinationi resistere, qui potestati resistunt, eos esse fugiendos, qui dissidia faciunt, præter doctrinam quam didicimus, ac proinde audiendi non sunt, si absque causa recesserint; nec ulli probabitur separatio nisi iustas divisionis sue attulerint causas, quomodo enim tum denegata obedientia tum introducti schismatis crimen effugient? At cur recesserunt? quæ causa movens? quæ ratio vel necessitas impellens p. 30.* Ita quæstionibus infinitis, ut ut inanibus & langvidis sollicitant nostros, ipsaqve disputatio vertitur in lusum, rei cardo declinatur, omnia cavillis & clamoribus implentur, atqve in casses non nisi incauti conijciuntur.

§. VI.

Tertium, quod hæc methodò intendunt, est *consequentiarum usus hæreticis*, ut illi ajunt, *denegandus*. Devoluto enim probandi onere in Protestantes, ex Scriptura quam pro unico fidei principiò agnoscunt, postulant, ut negantem ejusmodi propositionem probent, & terminis quidem scripturæ formalibus, & procul omni consequentiæ beneficio ea proferant scripturarum loca, quibus expressis verbis legatur, *v. g. non dari Purgatorium, non dari septem sacramenta. Non esse Missam sacrificium verum & propitiatorium &c.* Cujus aserti speciosas conquirunt causas, quibus mirificè sibi blandiuntur: (1) quod processus consequentiarum sit impeditus, obscurus, nec ideo ab omnibus capiatur. Ita Batavi p. 53. *populus quidem in scholis parum aut nihil exercitatus non difficulter capit, quæ terminis expressis legit in scripturis, consequentias autem vel*
pror-

prorsus ignorat, vel iisdem facili negotio fallitur. (2) Quid
sacra Theologia sit indignus, adeoque ad articulum fidei
adstruendum minime sufficiat: Hoc enim ipso fides redi-
geretur ad lubitum consequentiarum quarum leges non est
Scriptura, sed Aristotele ducantur: fidem autem nostram
regulis Aristotelis nequaquam teneri p. 75. Petimus e-
nim, ut illi inquirunt. p. 86. an adversariorum interpreta-
tiones & consequentia legantur in scripturis v.g. postquam
pro communione sub utraque specie allegarunt: bibite ex
hoc omnes, adducant praxin Corinthiacam, ubi populus te-
ste Apostolo communicavit sub utraque specie. Hanc vocant
adversarii explicationem scripturae per scripturam, & popu-
lus credit eas esse revelatas instar scripturae, atque hac persua-
sione imbutus, existimat mandatum Christi de Communione
sub utraque specie ad populum spectare, & fide divina cre-
dendum. (3) Judicem ajunt & arbitrum deesse, qui de con-
sequentiae bonitate ferre iudicium possit. Quod si enim
rationem humanam de bonitate consequentiae iudicare per-
mittimus: Sic dabitur iudex in controversiis fidei praeter
scripturam, inquirunt, & destruetis ipsum doctrinae vestrae
principium, deinde cuius ratio iudicabit? non ratio Ecclē-
siae universalis, quia eius iudicium rejicitis: Non ratio ca-
tholici particularis contra quem disputatis, quia eius iudi-
cio vos non submittitis. Quis ergo iudicabit? quin dicitis
apertè? perfectè adversarii nostri iudicabunt, determina-
bunt, sententiam pronuntiabunt, de bonitate suarum conse-
quentiarum & interpretationum; hi nimirum infallibili-
ter declarabunt omnes catholicorum interpretationes & con-
sequentias esse invalidas, futiles inanes, eas autem quae ad-
versariorum sunt, sanctas scripturae conformes & sufficien-
tes, ad probandos, articulos fidei. Sed hoc non dicitis quia
exorbitantius nihil cogitari potest. Imò contrarium asse-

ritis, docentes nemini mortalium competere iudicium infallibile in controversiis fidei. Quod cum ita sit, per salutem vestram & nostram Deo iudice obtestamur, ut dicatis quis iudicaturus sit an consequentia vestra proposita sufficiat ad articulum fidei? (4) Omnes homines argui inveniunt, mendacii, nec veritatis adeo arbitrium sustinere posse. Ita cum nostri argumentum ex eo eliciunt pro non invocandis sanctis quod Christus præcepit: cum oratis, dicite: Pater noster qui es in caelis: petimus inveniunt illi, p. 100. an adversarii possint errare, in deducenda dicta particulari consequentia, & quidem adversarios posse errare nullum est dubium, qui enim docent omnes homines natura sua esse mendaces juxta Psal. 115, qui clamant totam errasse Ecclesiam catholicam: quomodo sustinebunt, se errare non posse? Deinde petimus unde adversarii sciant se de facto non errare in deducenda dicta particulari consequentia? Hinc argumentum ibid. p. 102. Nullus articulus controversus deductus per consequentiam, in qua adversarii errare possunt, est credendus ut articulus fidei ratione consequentiae. At qui omnes articuli controversi quos deducunt adversarii per solam consequentiam ex scriptura, sunt articuli controversi deducti per consequentiam, in qua adversarii errare possunt. Ergo nulli articuli controversi quos deducunt adversarii per solam consequentiam ex scriptura sunt credendi ut articuli fidei ratione consequentiae. Ex quibus quantum dialecticus assequi ratiocinando poterit, paulò attentius expendam; difficilioribus illis, quæ Scripturæ s. fraudi sunt, ad sacrum Theologorum forum remisissis.

§. VII.

Antea verò quàm excutere hæc dogmata & confutare ingrediar, inquirendum paulò altius in originem huius *εὐημερίας*, & investigandum adeò, ad quem potissimum

num auctorem fraudulenta & captionibus plenissima hæc
methodus referri queat. Non ad ultimam ætatem rece-
do, nec quò fallendi eludendique artificio usi fuerint Ma-
nichæi, Arriani, Macedoniani, Eutychiani, aliique hæreti-
ci, operosius huc arcesso, in quorum perinde ac in avorum
suorum mores Walenburchios abiisse existimes. Neque
Hildebrandinæ illius *methodus* aliquam rationem duco,
qua Dictatus Pontificis Romani impiissimi planeque abo-
minandi continentur, ne Baronio quidem dissimulante
ad. A. C. c. l. l. LXXVI. Num. LV. nec ipsius Bonifacii VIII.
Constitutiones attendo, quibus Scripturæ autoritati suam
ante posuit; fulmineque anathematis, ut temporum con-
ditio ferebat, satis horribili, minùs obsequiosos percussit,
teste Bzovio in Annal. ad A. C. M. CCC. II. §. IV. Quibus
rebus factum quidem, ut attrita subinde & inclinata red-
derentur Ecclesiæ res: Indolem tamen hujus methodi,
Pontificum illorum mores per omnia non expresserunt.
Primum itaque inuenta hujus prolis Parentem, Antoni-
um Fabrum Juris Consultum nominat Spanhemius *in*
Specimine Strictur. contra Episcop. Condomiens. p. 5. cui &
Walenburchii non parum laudis tribuunt *p. 135.* nec du-
bium omninò quin hujusmodi quicquam molitus fue-
rit, quando Jacobus Lectius Jctus Genevensis *Præscri-*
ptionum Theologicarum Libros II. Fabri hujus assertis
potissimum opposuit *Genev. 1607.* Sed præterquam quod
jamdudum ante illum vestigia hujus rei deprehendas val-
de conspicua; etiam B. Hülsemannus, hypothese ejus ex-
cusâ, mitius de illo judicat, & tantum non penitus excusat.
Namque negantibus Lutheranis hoc solùm vitio vertit,
quod per negationem dogmatum à Romanensibus affir-
matorum probandi onus in hosce solos devolvant, ipsis
contra nihil assertorum suorum, ut ille judicat, probanti-

11
bus. Alioquin intulit, & rectè quidem, probandi onus non ex enunciatione propositionis, utrum affirmativa sit vel negativa? sed ex qualitate intentionis: utrum actoris vel rei, doctoris vel auditoris locum quisquam teneat, æstimandum *Vid. Diss. de Prescript. p. 9.* Ceterùm Nicolaus Vedelius in *Rationali*, quod edidit, *Theologico*, Cardinalem Jacobum Perronium Pontificiis nostris præivisse, & novam defendendæ fidei rationem suggestisse persuasus est, unde & hanc artem *Perronianam* salutari credit *lib. 1. c. 3.* Sed vix à me impetrare possum, ut Viro, quem ingenio & iudicio excelluisse constat, artem, in qua parum aut nihil ingenii est, adscribendam putem. Educatus quidem apud Reformatos opes & dignitates, quarum inter hos consequendarum, copiam non esse intelligebat, digressus ad Pontificios, abunde indeptus est, dum Henrico IV. ad fidem Catholicam conversò, Episcopatum Ebroicensem, nec multo post Galerum Cardinalitium in victoriæ præmium reportavit. *V. Gramond. Hist. Gall. Lib. III. p. 201. seq.* Interim vero laudem moderationis quæ in transfugis oppidò rara, cum eruditione insigni conjunxit, quò nomine laudatur Calixto *Digress. de arte Nova p. 130.* & prorsus absolvitur à suspitione ista; qui præterea magnopere gaudet, quod eò potius converterit consilia Perronius, ut ostenderet, scripturam finiendis controversiis non sufficere, sed iudicium Ecclesiæ & Patrum vocari in subsidium oportere. Verba præfationis, quam Replicæ ad Jacobum Angliæ Regem scriptæ præmisit, hæc sunt: *Præterquam quod maxima pars articulorum fidei verbis expressis in scriptura non continentur, sed tantum per consequentiam inde eliciuntur, illa ipsa etiam quæ verbis expressis in ea inveniuntur, sæpissimè diversis imò contrariis expositionibus liberalibus sunt obnoxia. Quare tunc necessum est confu- gere*

gere ad consequentias extractas per instrumentum rationis, quæ hoc modo intervenit, tanquam media inter scripturam & conclusiones inde eductas. Hinc fit ut si ipsa non sit certa & infallibilis, sed tantum probabilis & conjecturalis, fides etiam quæ ab eo discursu dependet, eandem naturam induat. Inde resultat, nos ex scriptura fidei certitudinem habere non posse, nisi ante omnia instructissimi simus, argumentis necessariis & infallibilibus contra omnes generis responsiones, nec non solutionibus certissimis & inexpugnabilibus, omnis generis objectionum quo sic indubitate ostendere possimus nos unumquemque articulum doctrinæ nostræ ex pura scriptura sensu elicuisse, id quod simplicioribus impossibile doctissimis autem difficillimum est. Vid. Philippi Mornæi Responsio ad Librum Perronii de Colloquio Fontisbellaquensi, in qua præcipuæ hujus temporis controversiæ ex occasione pertractantur p. 113. seq.

§. VIII.

Sed paulò propius Batavis nostris prælusit, Renatus Benedictus Andegavus, Theologus Parisiensis, qui superioris ævi anno sexagesimo quinto *Stromata in universum sacrum codicem effudit*, seu *Panopliam*, adversus omnes nunc vigentes hæreses: quo opere Lutetiæ Venetiis & Colonia edito adeo novi quicquam se molitum existimat, ut ante se neminem fateatur hac via processisse: *Qui hoc novum hæreticos refellendi genus, (quod qui prius sit secutus neminem legi) jam à nobis in tertio Stromatum Libro inceptum & hic omni ex parte locupletius factum diligenter considerare, & perfectius reddere, nam facile est inventis addere, voluerit non parum Christianismum juvabit. Præfat. ad Lectorem.* Atque hoc tum demum edisserit cum, paulò ante in destruendis consequentiis, quandam nostris aperuisset viam: *Attende, ibidem inquit, non esse nostri in-*
situs

stituti conciliorum aut doctorum antiquorum testimoniis citandis, antiquam religionem confirmare, aut novam impietatem refellere, sed tantum docere novam fidei & religionis professionem, quam reformatam falsò & malè appellant, nullum prorsus in universa sacra scriptura (de qua tantopere gloriari solet, & solam eam se se velle proponere, fraudulenter clamitat) fundamentum habere: ut videlicet hoc modo & via stirpitis & radicibus evulsa ab ipsis suis (quæ falsò firma esse putat) fundamentis ruat aperte & nisi quis in luce ipsa caligare velit, nemo jam sectariorum mendaciis pro Scriptura obtrusis decipiatur. Quis enim sana mentis iis credat, qui quam nihil præter Scripturam Sacram esse recipiendum clamitent nullò scripturæ sacra loco verè nituntur? Resipiscere tamen visus est Renatus Benedictus, & qui in scriptò juvenili, nisi fallor aut certè ætatis non admodum maturæ, Reformatos acerbè criminatur, libro ad Cardinales Carolum Lotharingum scripto, suorum non minus vitia agnoscit, ac reprehendit, quàm in illos immoderatè invehitur. Quin & cum rem maturiori iudicio ponderasset, in Gallia vero Regem Henricum IV. quod Protestantium doctrinæ addictus esset à multis improbari intelligeret, scriptum vernaculo idiomate confecit editum, Cadomi 1590. quò demonstrat, Protestantes neque dogmatum neque rituum intuitu hæreseos convinci posse. Tridentinum autem Concilium quo damnati sunt, nec vitio caruisse nec proinde in Gallia fuisse receptum. Ad quod credendum eò adducor facilius, quò magis constat, inclinantem ad Pontificiam religionem Henricum IV. ab hoc Renato Lutetiæ evocato, informari voluisse. Perinde ut illud dubium non est, Henricum redactâ in potestatem Lutetiâ, regnòque tranquillatò Renatum Benedictum, ut à sacris confessionibus sibi esset,

set, adscivisse tandemque Episcopum Trecensem designasse: quæ singula illustris Historiæ conditor Thuanus memorat *Libro CVI, p. m. 468*. Ex quo liquidum saltem illud, Renatum prima artis novæ fundamenta, ut ut satis rudia jecisse. Quos autem formaverit hac methodo discipulos, & annon Reformatorem causæ velificari saltem, si non militare, voluerit, Lectori arbitrandum relinquo.

§. XI.

Ceterum totius artis fundamentum ex solido exstruxit Johannes Contierius, quem aliqui Gonterium: Vöetius P. I. Disp. Sel. p. 6. ineptè *Güntherum* vocat: *Fere Contier Gallis dicitur, nobilis athleta catholice fidei* (quod ejus est elogium in Actis colloqvii Moguntini p. 9.) *in Francico pulvere contra Calvinii sobolem bene exercitatus ac multis de hoste reportatis trophæis insignis*; qui viginti annos impendisse operam fertur, antequam admirabili hac Reformatos confutandi dexteritate potiretur, teste Vedelio *L. 1, Rational. Theol. c. 4*. Liber ejus hoc titulo extat: *Vera ratio terminandi de religione controversias. Cödom, 1607*. Primam autem occasionem divulgandi hujus inventi Colloqvium Durlacenum dedit *Anno 1612*. à Marchione Badensi & Duce Lotharingiæ Vaudimontio, de religionis negotio institutum. Fecerat enim spem Vaudimontius Dux, quendam se virum adducturum in medium, qui ea instructus doctrinâ sit, ut veritatem Pontificiæ doctrinæ evincere ex sola scriptura, & Lutheranorum dogmata, uno velut ictu prosternere possit. Quod multis sollicitatus precibus ea tamen lege annuit Marchio, ne in publicum colloqvium res adduceretur, sed privatim, nec ullo in Consilium adhibito homine ordinis Lojolitici res tentaretur. Verum ubi Dux Vaudimontius maleferiatâ hujusmodi turbâ stipatus adesset, Patremque Contierium præ-

C

ci-

11
cipuè huic muneri præficeret: nihilò segniùs suas partes egère Protestantes, quorum stator & vindex Wegelinus fuit, Theologus ad disputationem natus. Itaque re in certamen adducta, postulatur à Pontificiis velut lege sancitum; ut *caveant ministri NE ALIUNDE quàm EX PURO PUTO VERBO DEI Dogmata isthac sua esse vera ostendant, de suo NEC QUICQUAM addant aut demant: vid. ibid. p. 13.* Atque hæc anima Walenburchici istius artificii est, quod verbis clarioribus repeti & Marchioni indicari iussit Vaudimontius: *in eo quippe cardine rem verti ut ex NUDO ET SOLO verbi divini textu super articulis predictis instruatur nec se optare, ut unus locus per alium illustretur, nolle consequentias, repudiare argumentationes philosophicas: Biblia solum aperienda, in his textum nudum ostendendum v. g. Matrimonium non esse sacramentum; Missam non esse Sacrificium propitiatorium: Non esse Purgatorium: Non invocandos esse sanctos sola hominem fide justificari est. p. 18.* Quærente Marchione ex Vaudimontio, quo jure à Protestantibus illud exigat, quod nec Romanenses præstare possint, nec Protestantes à se fieri non posse, diffiteantur? respondet Vaudimontius p. 29. *Jus hoc à nobis postulandi non habetis; Nec enim Catholici unquam eò, quò vestri Doctores modo susceperunt Ecclesiam Dei reformandam, nec sola sacra scriptura usi sunt, pro instructione orbis terrarum in rebus, ad salutem requisitis: Vestri, verò, Doctores utrumque hoc audacter in se receperunt, & orbem reformarunt ex SOLO VERBO DEI SCRIPTO. Cum igitur tanto ipsi tumultu hanc reformationem aggressi sint, sequæ suapte sponte obligarent, res salutis ex scripto Dei verbo se clarè ostensuros, utiq; ad promissa patranda jure à nobis adigi possunt, rectèque laqueo constringi, quem ipsi sibi induerint.* Plura de Contierio refert Vede-
lius

lius *lib. 1. c. 4.* adde Ruelium *Historia Colloqvii Durlace-*
ni pericop. XVII. p. 766. seq. Id quod deinceps Thomas
Wegelinus olim Durlacensis postea Argentoratensis
Theologus, qui certamini interfuit, scripturæ sacræ ipsi,
orthodoxa vetustati, sobriæ rationi ac Romanensium pra-
xi protinus adversari, solidè demonstravit *in Tropæo Au-*
gustiniano Argentorati 1614.

§. X.

Solum igitur verbum fidei canonem & regulam es-
se, cum non in oppositione ad ea dogmata, quæ per ne-
cessariam consequentiam in sacris literis continentur: sed
in ordine ad traditiones humanas, & alia, quæ à Pontifi-
ciis verbo Dei associantur, principia intellectum velint
Lutherani; ab Artis tamen novæ conditoribus eò torqve-
tur, ac si per solum verbum Dei illa etiam quæ per conse-
quentiam ex scripturis sacris inferuntur, prorsus exclusè-
rint, eoqve omnia fidei dogmata signatis scripturæ verbis
ostendere jure quodam se obligârint. Itaque Contierii ve-
stigiis institère *Arnoldus & Veronius* Lojolitici ordinis vi-
ri: quamvis de Arnoldo mihi non aliunde constet, quam
quod eum Vedelius, eandem Contierii opinionem voce
pariter & scriptis professum esse testatur: Et quod Thua-
ni continuator memorat, ejus cum Reformatis discepta-
tiones in Gallia magnam segetem libellorum utrinque
editorum protulisse, adjecto viri cujusdam judicio *Ar-*
noldum magis audacem & disertum esse pro concione quam
solidum aut eruditum in scriptis: Pontificis, Ecclesiasticorum
sui ordinis & propriam causam frigide defendisse. Fran-
ciscus autem Veronius id sibi datum negotii existimavit,
ut extremam operi jam cœpto manum imponeret, qui ta-
met si cum Contierio pariter incedit & argumenta à no-
bis exigit quæ *iisdem verbis aut eadem saltem significanti-*

bus in scriptura contineantur: In eo tamen sibi haut satisfactum dicit quod modum diluendi argumenta, in quibus principia consequentiæ reperiuntur, quàm minimè docuisset. Se igitur operæ duxisse pretium, hac dere cogitare, quin imò jam præstitisse illud, & plebejis etiam telis quibus se muniant, subministrasse. Extat illius scriptum titulo *Methodi Veroniana* proluxa præfatione editum 1628. Summa eorum quæ reliquis superaddidisse gloriatur, huc redit: Reformatos cum interpretationes & consequentias adversus Pontificios afferunt, quæ non expresse in scriptura sacra extant, promissis non stare, sed deficere à solo puroque Dei verbo, ad quod se publica confessione adstrinxerint, hinc *cap. 2. p. 24.* adversus interpretationes ita procedere jubet: *Sciscitabere num scriptura doceat, hæc verba (HOC EST CORPUS MEUM) interpretationem & lucem mutuari ab illis, (ego sum vitis) debere? an contra? docetne id scriptura? palam fiat: non docet? sed id minister comminiscitur? Jam certè simplicis organi vice circa scripturam haut quaquam ipse fungitur.* Et rursus: *Quærendum est, quisnam de pugnantibus nobis super bonitate commentationis allatæ iudex assignabitur? verane sit illa an verò errori pateat? judicat Scriptura? hanc ergò, commentationem bonam esse dicat necesse est. Tacet scriptura? Judicis sibi partes minister arrogat. Iudex est etiam articulus fidei de quo digladiamur. Cum ad hoc postremum subterfugium divertat minister, articulum abnuat, in quo apertè se solius Scripturæ iudicio staturum profitetur in litibus nostris dividendis &c.* In quibus quidem quid sibi adinventum tribuat, parum profectò est nisi quod Reformatorum confessionem Gallicanam, in quam præcipuè intorserat telum, confundit passim ex propriis hypothesibus, jam solam scripturam, jam rationem cum scriptura principii loco

co

co habentibus. Itaque huic stratagemati occurrit *Nicolaus Vedelius in Rationali*, quod scripsit, *Theologico*, quo cum orthodoxiæ nostræ imputaret, inventi hujus artificii causâ: quippe quod solo verbo inniteremur, remoto à Controversiis theologis rationis dominio: *D. Johannes Museus* in suam rem vertit litem, & erudito tractatu has calumnias absterfit, quantumque in rebus fidei tribuendum rationi sit, non perfunctoriè exposuit, *de Usu principiorum & Philosophiæ in Controversiis Theologicis Jena 1644.* Tum & Bartholdus Nihusius in scholis Helmstadiensium olim educatus postea perfidus Sacrorum desertor, suum ut animi Zelum Pontificiis probaret, *Morosophum* edidit *Vedelium in Rationali* ut vocat, *irrationali Colonia 1646.* quem paulò post excepit integer ejus tractatus *de Arte Nova, ad omnes Germaniæ Academiæ Rom. Pontifici subditas 1647.* in quo cum multa se debere fateretur Seniori Calixto Præceptori suo: purgare se ab hac suspitione ac diluere labem non temere aspersam conatus ille est, in *Digressione de arte nova Helmstad. 1652. excusa.*

§. XI.

Ac illis quidem auctoribus se Magistris in hac arte usos, adeò non dissimulant, Reverendi Fratres, ut omnes illud paginæ loquantur. Reliquis verò sapientiâ multum antecellere sibi visus est, *Valerianus Magnus Fr. Ordinis minorum Seraphici*, qui pari fraude doloque aggressus est, Romanæ sedis impugnatores, scripto *de A catholicorum credendi Regula Judicio, Praga 1628.* Scopus scripti est præcidere quicquid inter nos & Catholicos controversiarum occurrit, atque omnes ad unam, ex qua salus orbis dependeat, Ecclesiam revocare; nec quicquam obstare amplius credit, quam quod de infallibili credendi regulâ nondum inter nos conveniat. Hoc igitur nexu, quantum ex scri-

pto ejus dijudicare qveo, singula conficiuntur: *α*) Utrin-
que concessum putat, verbum Dei scriptum esse certum
& infallibile, ita ut nec angelus de coelo certius quicquam
annunciare possit, *β*) neminem verò assequi verum sacra-
rum literarum sensum, nisi interius illustratum, & à Spi-
ritu Sancto edoctum; *γ*) jam superesse quæstionem: qui-
busnam certò & infallibiliter assistat Spiritus Sanctus, ne
errent in exponendo vero sensu sacrarum literarum? In
qua quæstione decidenda duas esse sententias ait: *alteram*
eorum qui credunt Ecclesiam, (cuius caput Pontifex Ro-
manus est duabus prerogativis instructus: infallibili Spi-
ritus Sancti assistentia, & suprema docendi potestate in Ec-
clesia.) proponere orbi Christiano verum sensum sacra-
rum literarum, atque hos semper appellatos esse *Catholi-*
cos: alteram reliquorum Christianorum, quorum singuli
consultant Spiritum S. ex sacris literis, & ex iis dijudicent
quænam doctrina consentiat quæve dissentiat à verbo Dei
scripto: atque hos *Hereticos* jure quidem appellari, sed
mitius agendo, *Biblistas* nuncupari cupit, eò quod singuli
recurrant ad sacra Biblia, auxiliò Spiritus Sancti implora-
tò. Cum Walenburchicis igitur congruit sententia ejus
1) in eò, quòd penes Ecclesiam Pontificiam antiqui juris
& autoritatis plurimum esse contendit 2) quod conse-
quentias nequere nemini concedit nisi summo Pontifici,
Magistro illi, si Diis placet, & interpreti Scripturæ infalli-
bili, denique 3) quod perpetuam Sophismatum supposi-
tionum & petitionum *τῶ ἐν ἀρχῇ* seriem cumulat, rejectio-
ne nonnunquam longè quam confutatione digniorem.
Reliquam verò litem Theologis discutiendam relinquo,
quam ad hos terminos restringit Johannes Major: *utrum*
Spiritus Sanctus infallibiliter secernat ex sacro codice ve-
ram à falsa doctrinâ fidei per Ecclesie Pastores in Oecume-
nico

nicò Concilio congregatos an per singulos Christianos seorsim invocantes & consulentes ex Sacris literis Spiritum Sanctum? Quam quæstionem distinctis momentis refellit ipse in *Judicio Castigato contra Valerian. p. 10. 11. seq.* Idem etiam *Ἐπίγραμμα* à Jobanne Bottsacco Gedanensi, Jacobo Martino, Haberkornio Giessensi, tum quoque Conrado Bergio, Amoso Comenio, Samuele Maresio, editis contra Valerianum scriptis confutatum est.

§. XII.

Interim tamen effectum Valeriani hujus artibus, ut Illustrissimi Nominis Viri, remissò Protestantibus nunciò ad castra Romanensium transierint. Ernestum enim Hassiæ Landgravium cum conjugè Eleonora Maria Solmensi, majorum memoria prodiit, Colonia Aggrippinæ instituta Romanæ Ecclesiæ avitâ religione ejuratâ, solenniter fuisse amplexum. Prius verò quam Sacra Pontificiorum profiteretur, Calixtum, Crocium Haberkornium epistola Helmstadii 1651. edita ad colloquium cum Valeriano Francofurti ad Mœnum, (id enim à Senatu impetraverat,) habendum invitavit. Verùm agitatiss utrinque consiliis in congressum illum Francofurtensem ob causas maximè prægnantes non consensere. Quapropter responsum prodiit Crocii germanicum ad literas Landgravii invitatorias tum & Calixti latinum, cum duabus ad eundem appendicibus 1651. *Casellis editum*, quibus & B. Dorschei Epicrisis germanica accessit, de literis Landgravii religionis collationem urgentibus. Caroli autem Drelincurtii Theologi Gallici Responsum 1666. ed. iis Landgravii Literis satisfacit, quas ad Charentoniensem Ecclesiam in causa mutandæ Religionis exaraverat. Quamquam verò successu caruit Colloquium à Landgravio intentum; Reinfelsæ tamen inter Valerianum & Petr. Haberkornium itemque

Men-

Menzerum & Happelium Hasnenses Theologos acriter disputatum est. At Valerianus, ubi argumentis & responsionibus nihil obtinere se posse intelligeret, nec monarchicam Romani Pontificis potestatem ex Matth. XVI. v. 16. evincere contra Haberkornium valeret: horrenda convitia & calumnias in Lutherum evomuit, finiendique colloqvii præbuit occasionem: Vide Acta Disput. hujus ab Haberkornio edita 1682. itemque Acta inter Landgravium & Georg. Calixtum Helmstadii recusa. 1681. Neque nunc feriatum sunt Walenburchici fratres, sed Landgravium ut in religione Pontificia obfirmarent, suæque methodi specimen ederent, Motiva publici juris fecerunt, quibus Protestantibus ostensum, quam periculosum sit vitare communionem Ecclesiæ Romano-Catholicæ Colon. 1652. quæ simul ac lucem viderunt, à Gerardo Titio Animadversionibus Theologicis in Motiva Walenburchiorum Helmstad. 1683. & Hermanno Conringio in fundamentorum fidei Pontificia concussione 1654. itemque Valerio Faschio in Examine Walenburchicæ fundamentorum fidei discussionis Argentor. 1652. dignò, ceu par erat obelò compuncta sunt. Proximum nunc foret commemorare aliquid de Christophoro Rantzovio Nobili Holsato de Comite Erhardo Ferdinando Truchsessio; de Johanne de Reck Domino Steinfurtensi, qui eadem methodo decepti & technis maleferiatorum irretiti sunt, ceu acta publica testantur. Ne autem longius hinc abiisse videar, reliqua nunc persequenda restant.

§. XIII.

Sed latius opinione disseminata est Walenburchiorum methodus, ac tam ubertim succrevit, ut in hanc ætatem nostram divite quodam librorum proventu passim propagata sit. Pergam igitur recensere traduces, ut adeò
quæ

quæ communia cum propagine sua habent secernam, uno-
que labore succidam illa, non secus ac una fidelia plures
dealbari parietes solent. Armandus itaque Richelius, qui
labascenti Galliaë supposuit humeros, eamque in summum
fastigium evexit, simillimi quid monstri peperit, quod *Richeliana Methodo* deinceps insignitum, & post fata demum
ejus divulgatum est *Parisis* 1665. Qui liber, utut se subtra-
xerit oculis nostris, ex Johanne tamen Martello strenuo e-
jus impugnatore intelligere licuit, in quo cardo rei verta-
tur. *Primum* enim misso doctrinaë ipsius examine, ut an-
cipiti & operoso: de Ecclesia omnem inter catholicos &
Protestantes disputationem institutam voluit. In confes-
so enim utrinque esse, non relictum extra Ecclesiam salutis
locum. Quapropter veram Ecclesiam cuique investigan-
dam, non ex doctrinaë cum Apostolica conformitate, nec
ex dubiis obscurisque Scripturaë locis, sed ex iis quæ sensus
ipso feriant, omniumque & simpliciorum maximè oculis
sefe ingerant, Ecclesiaë nimirum & Pontificum perpetua
nec interrupta successione, eaque visibili & extra erroris
vel schismatis periculum constituta. Protestantium au-
tem Ecclesiam, nusquam ut ille censet, ante Lutherum
fuisse conspicuam, nec nisi ante aliquot secula prognatam.
Alterum methodi arcanum est, quò facta singulorum do-
ctrinaë capitum inductione, quatenus ea controversa sunt,
negat esse ejusmodi, quæ in fundamentalium genere col-
locari possint, colore singulis obducto, & erroribus Ro-
manaë Ecclesiaë passim dissimulatis. Quò ipsò Maimbur-
gio, Bossveto aliisque studii Irenici auctoribus præmuni-
vit viam, quam frustra deinceps plurimi triverunt. *Ulti-
mum* denique stratagema, quod Armando usitatum fuit,
de oblato Lutheranis à Reformata Ecclesia Syncretismo
agit. Cum enim in Synodo Carentoniensi M. DC.
D XXXI.

XXXI. celebratâ, Reformati Galli, speciatim Moses Amyr-
aldus nullam in Augustanis Ecclesiis vel Idololatriam vel
superstitionem invenire se, faterentur: citra ullam eju-
rationem illos in communionem fidei admittere non dubi-
tarunt: testantibus id libris, in hac causa passim divulgatis.
Unde Richelius hoc argumento confudit ipsos: *Si Refor-
mati cum in aliis fidei Articulis, tum maximè in negotio E-
ucharistico recipere Lutheranos in communionem fidei cupi-
unt, quidni etiam Pontificios admittunt? Quodsi nolue-
rint, apparet illos malitiosos Schismaticos esse, sine causa de-
fecisse & ceu perturbatores Reipublicæ Ecclesiasticæ pœnâ
potiùs quam refutatione dignos esse.* Quæ asserta ex Ve-
ronio Walenburchiorum Magistro deprompta esse Dal-
læus asserit in *Apologia pro Ecclesia Reformata p. 175.* Ac
proinde cum Methodo Augustiana geminum quid habet
1) quod obscuris dubiisque locis Protestantium doctrinam
inniti tradit 2) perpetuò jure & non interruptâ possessio-
ne Catholicam fidem propagatam fuisse asserit. 3.) Sim-
plicioribus nunquam neque semper intelligentioribus de
Schismate & erroribus Ecclesiæ Romanæ reddendam esse
rationem dicitur. Cetera discutienda sibi sumserat Jo.
Claudius, ut ex vitâ ejus nuper editâ comperi, sed ne invi-
diam incurreret nimiam, negotium commisit Johanni
Martello celebri in Gallia Reformatâ Theologo, qui scri-
pto eruditò id confecit *Responsione ad Methodum Richelia-
nam 1674.*

§. XIV.

Aliò quodam turgidus inventò *Jodocus Keddius* pro-
diit, qui à Francisco Costero, ut ipse fatetur, informatus
condidit *Heliopolin*, in qua propositiones duodecim (tot e-
nim portis novam Hierosolymam splendescere noverat,)
protestantibus proposuit refutandas: Horum postulato-
rum

rum ut primum, ita præcipuum est: *Evangelicos probare debere, Ecclesiam ipsorum esse meliorem & ad Salutem consequendam tutiorem quam Calvinistarum, Anabaptistarum, Socinianorum Ecclesiam; Pontificia semper exclusa: cum hunc supponat esse veram adeoque ab onere probandi immunem.* Reliqua cum Walenburchiis nostris prorsus communia habet, dum (1) arrogat Ecclesiæ suæ non partes Respondentis saltem sed Judicis, ab omni probandi molestia vacantis. (2) Speciale principium requirit ex quo Protestantes probare debeant, regerente semper adversario; *hoc sibi nondum esse evidens, iterum committit petitionem principii &c.* quod cum impingat in Dialecticam & Processum disputandi; in partem curarum nostrarum id maxime veniet. Ceterum à Johanne Rogiero Weiero, Melchiore Nicolai, Micralio, Dorscheo, Musæo, Rheinbotho & M. Johan Eberhardo in Labyrintho, (quò nomine Johann Adamum Scherzerum latitare neminem fugit) & nuper saltem à Melchiore Zeidlero ad saniores mentem redire jussus est.

§. XV.

Nondum hic finem facio recensendi methodos à Walenburchiis profectas cum *adversus hereticos victoria sit, sententia eorum manifestatio*, ut Irenæus loquitur *l. 1. adversus Hæreses c. 34.* Namque Jacobus Masenius è Patribus societatis aliud sub incudem revocavit inventum, quo omnes Germaniæ protestantes nullo, ut gloriatur negotio in Romanæ Ecclesiæ gremium se reducturum sperat: Hinc nata ipsi: *Meditata Concordia Protestantium cum catholicis in una fide ex scripturis desumpta* ed. 1660. cui libro ut splendorem conciliaret ac famam, nomen Alexandri VII. Pontificis, & Protestantium totius Europæ Principum ambiciosè inscripsit. Omnis autem labor in eò ponitur ut Con-

fessionem fidei Pontificiæ omniumque assertionum in doctrina cultu, disciplina, etiam ex Tridentinorum mente contexat, ipsis Scripturæ verbis, *claris* ut inquit ille & *explicitis*. Quo fit, ut in centones quosdam sententias scripturæ vertat, male confutos illos, à sedibus suis avulso atque in peregrinum sensum adeò violenter tortos, ut nihil probent minus, quàm quod probare maximè debent. Sed neque hic liber impunè abiit, verum dignis exceptus modis ab Antonio Günthero Fritzio in *Consideratione ad Masenii meditatam concordiam* 1663. à Johanne Thoma Juris utriusque Doctore in Confessione fidei orthodoxæ confessioni Jacobi Masenii oppositâ. Ratisbonæ 1661. nec non Spanhemio juniore, in præfatione Vindiciis Biblicis præmissa. Non multò post luci publicæ Masenius obtulit *Novam Praxin orthodoxæ fidei, intra octidui exercitationem sacram discernendam & amplectendam*. Qua rationem cur in sola scriptura non subsistendum, petit à multiplicitate sensus scripturæ, qui ab eadem non sit definitus. Hinc ad Veteris orthodoxæ probatæque ab omnibus Ecclesiæ sententiam confugere tutissimum censeret, cujus mentem ex teste antiqui sensus probatissimò Div. Augustinò exhiberi putat, nec quemquam Protestantium tam aversum à Veteri Ecclesia & Augustino fore existimat, quin, ubi is à Lutero & Calvino in rebus fidei dissentit, cum illo quam cum his credere tutius arbitretur. Ex quibus patet tantum non omnia Masenium debere *Methodo Augustiniana*, quam eodem modò ex Augustino adornatam cupit. Sed nactus est Masenius vindicem & statorem orthodoxiæ nostræ incomparabilem, *Dn. D. Sam. Benedictum Carpzovium* inclytum Dresdensium Antistitem, qui & præclarè explicavit Augustinum, & cladem scripturæ illatam dexterrimè vindicavit, in *Examine Novæ Praxeos à Job.*

Job. Masenio proposita & Wittenb. 1677. Namque id illorum hominum perpetuum est, sonum Scripturæ attendere non sensum: plurimum de suo addere: nexumque alienum & musteum inferre, fallacibus ubique consequentiis ac torsionibus dare locum, reponere subinde, quæ toties discussa atque enervata fuerunt.

§. XVI.

Trudunt se invicem fallaciæ, & fluminum instar eò plus vitii capiunt, quo latius progrediuntur. Sic anno hujus seculi septuagesimo foetum exclusit Ludov. Maimburgius cujus titulus est: *Methodus Pacifica, ad reducen- dos Protestantes, sine disputatione ad veram viam.* Quo quidem tractatu Ecclesiæ dominantis haud leviter aperiuntur arcana, viaque sternitur ad tristissimas afflictiones quas Ecclesia Reformata in Galliis sustinuit. Equidem auctor istius *methodicæ* non est Maimburgius, sed collector saltem eorum, quæ in Concilio Gallicano, de propaganda fide conclusa fuere, ut fatetur ipse, in *prefatione libelli ad Episcopum Parisiensem, Hardouinum Prefixum.* Plurima videtur ista methodus à Walenburchiis mutua- ta, sed nec desunt, quæ multò quid atrocius minantur. Disputandi negotium Batavis nostris probrosum est nec nisi negandi beneficium in controversiis receptum: Ean- dem legem Maimburgiana Methodus injungit: *Sicubi in regno quodam controversia nascitur de religione eam non esse terminandam via disputationis sed veniendum ad Ecclesiæ supremam auctoritatem, non commissâ populo locorum scri- pturæ aut Patrum discussione Cap. 4.* Præscriptionis via com- munitur Batavis: Gallo absurda videtur in Christianismo, doctrinæ & discussionis ratio cum Schismaticis inita: *Quod præscriptionis methodo sola finiri controversias posse speret, in quibus olim innumeri, novissimè Arnoldus & Clau-*

dius desudarint cap. 3. Verbum Dei tot consecrariis elici-
endis obnoxium pro cognoscendi principio admittere,
dubitant illi: Huic tantum abfuit, ut verbo Dei convince-
re hæreticos se posse confisus sit, ut ne jactandum quidem
verbum Dei esse censuerit: cum & Arriani, Sabelliani Ne-
storiani Monothelita, Anabaptista, Sociniani ipseque Dia-
bolus illo usus fuerit, ad suorum dogmatum confirmatio-
nem Ibid. Ceterum Principium jactitat, in quo conveniant
Christiani omnes: dari Ecclesiam Christi, quæ habeat pote-
statem summam ad definiendas controversias & proponen-
dos Articulos fidei, quos antea credere Christianos non obli-
gabatur cap. I. Quod versutioribus technis adhibitis,
ex ipsorummet Reformatorum hypothesebus probat
cum quibus ipsi præcipuè negotium est. Illorum enim
Ecclesia, cum talem sibi potestatem sumserit, ut Remon-
strantes in Synodo Dordracena damnarit; ipsa praxi in-
quit, Protestantes docuerunt, ad Ecclesiam pertinere deter-
minationem articulorum, etiam qui præterlapsis seculis
non fuerunt fide recepti: nec Ecclesiæ Catholicæ vitio
versum iri putat, si potestatem æquè summam sibi arroget
ad dirimendas controversias, & articulos fidei proponen-
dos, Præterea in Ecclesia & Societate Reformatorum
quempiam obligari ad assentiendum iis omnibus, quæ pa-
stores muniti publicâ autoritate præscribunt: Multo magis
audiendos, inquit, in vera Ecclesia Episcopos illos qui supre-
ma potestate instructi leges dictitant: Quod si negent & se
ab illa separent aliudque corpus & societatem constituent,
pro rebellibus & schismaticis reputandos. Reliqua pri-
stinam Ecclesiæ Romanæ indolem spirant, nec nisi asserta
crepant pridem jam explosa; nihilque aliud quam cæ-
dem & sanguinem redolentia: præscribere articulos reli-
gionis, fidem imperare, damnare ac punire rebelles non
au-

audita illorum sententiâ, hominum torquere conscientias ad sacra invites compellere: Respuentes ut reos divinitatis plectere, affigere crucibus, corvis & canibus objicere, crudeliori quam gentilium aut Judæorum exemplo. Adderem nunc XVII. *Methodos* Cleri Gallicani, Missionariis commendatas, & diplomate Regio instructas, quas *Dracones* subinde ac prædones ingenti agmine stiparunt; Verum ne extra oleas abripiamur, & leges instituti nostri habeamus insuper, suffecerit provocasse ad *Mysterium Pietatis Anonymi auctoris adversus hodierna mysterii iniquitatis consilia*, editum *Ultrajecti* 1686. Cujus libri autorem esse Melchiorem Leydeckerum ex Notis ejus ad *Hornii Hist. Eccles. p. 281.* & multò clarius ex *Continuatione Histor. Ecclesiast. p. 23.* dispalescit, conferantur in eandem rem Animadversiones in Acta Cleri Gallicani, à Burneto edita 1685. ubi præcipua quæ Romano-Catholicis cum Protestantibus intercedunt, Sophismata expenduntur.

§. XVII.

Sed ne quidem ubi sanguine perlitæ sunt artes illæ, omnis sævitia deferbuit, quin grassata ulterius est, & blandiori quadam facie prospexit. Accessit enim reliquis *Jacob. Benignus Bossuetus*, Condomiensis olim, nunc Meldensis Episcopus: qui ex tanto doctorum virorum numero, quibus Gallia abundat, Delphini studiis ornandis, unâ cum Huetio admotus est. Cur in hunc ordinem retulerim ipsum, CL. Leydeckeri judicium fecit, qui *Condomiensis Episcopus*, inquit *nihil protulit, nisi quod à suis Walenburchicis didicerat, homo Politicus magis quam Theologus*, *Contin. Histor. Eccles. p. 10.* In quibus autem cum Walenburchica, Richeliana, & aliis methodis paria faciat, accuratè solideque expressit Fr. Spanhemius in *Specimine stricturarum ad Expositionem Episcopi Condomiensis p. 5. 6. 7. &c.* At vero

rd

rò longè se diffudit latius Bossveti Methodus & reliquis paulo astutior visa est. Nimirum *Expositionem doctrinae* ut vocat *Catholica*, in Turenii Mareschalli usum conscripsit, qui nec blanditiis Regis, nec fortunæ sublimioris spe ad fidem Romanensium pellectus, à Bossveto tandem expetiit, ut Reformata, juxta & Pontificiæ discrimen, candidè sibi ante oculos poneret. Sed hic scenæ suæ inservire paratus, nihil quicquam discriminis utrinque se invenisse simulat. Nec enim Concilii Tridentini decreta à seqvioris fidei defensoribus intellecta satis, nec aliunde, quàm à privatis Doctoribus superstitiones de *Cultu Angelorum, adoratione Sanctorum &c.* invecas fuisse: factòque inter id quod de *fide* & rursus quod de *necessitate fidei est*, discrimine, *Sancta Mariae venerationem, Traditiones humanas & similia de fide* quidem esse, nemini autem credendi & observandi hæc dogmata, necessitatem injungi. Liber ipse privatis olim manibus volutatus deinceps prodiit 1671. Archiepiscopi Rhemensis & novem Episcoporum approbatione munitus; Sed Sorbonicis Doctoribus, cum offerretur, spe suâ cecidit Bossvetus: adeò enim displicuit Scriptum, ut multa loca atrò carbone notarent illi, idque imprimis Præsuli vitio verterent, quod nimia dogmatum emolli-tione turbaret Ecclesiam, & tot egregiis in doctrinam Tridentinam Scriptis interpretationibus unus omnium maximè obloqueretur. Hinc & Romana Sedes ipsum condemnavit, & Hispania libellum, prohibitâ illius vel editione vel lectione, suis ditionibus proscripsit, eò quòd *Propositiones de errore & impietate suspectas contineat, abutatur Scripturis, Catholicis imponat, eosq; à pietate quæ Matri sanctæ debetur, abducat, atq; à Sanctorum cultu avertat.* Quin & liber Curia Romanæ jussu editus cum Titulo: *Monita salutaria B. V. Mariæ ad Cultores suos indi-*
scre-

secretos 1672. cui & alius successit, à Jesuita P. Craffetio, confectus: Veritable Devotion envers la Sainte Vierge 1679. Ceterum non paucos & illustri quidem stemmate oriundos, quorum animi consilio & ratione firmati nondum erant, captos hisce blandimentis, ac delinitos fuisse accepimus. Nam præter Turennum Heroëm sagatum etiam illustris *Virgo de Duras* quibusdam conscientiaë scrupulis fatigata est, ut Bossveti doctrinis cuperet imbui, quibus ita postea correpta est, ut ad levandam animi sollicitudinem, in *colloquium* convocaret Claudium Reformatorum Antesignanum & Bossvetum Episcopum 1678. Acta Collocationis à Bossveto edita ob velitationum argutias merentur legi *Parisius 1682.* Ac tanta sane hominum multitudo ingruente sæva Ecclesiæ tempestate, in hoc libro apostasiæ præsidium invenit, ut Viro cuidam docto extorqueretur Liber: *Preservatif contre le changement de Religion ed. 1682.* In his quoque fuit Brueysius Advocatus Montispessulanus, qui oborientibus procellis, *Examen rationum, quæ Protestantes ad separationem moverint,* scripsit, in quo beneficium conversionis suæ, divinæ Providentiæ & libro *Episcopi Condomiensis, ejusque informationi privata* se debere fatetur, neque alia in hoc tractatu se scribere, quàm quæ sibi ille quasi inspirarit, in *Prefat. p. 3.* Ex Reformatis, qui adversus hoc stratagema intorsere tela, Fridericus Seylerus est, in *Roma Titubante 1684.* itemque Spanhemius in *Specimine Stricturar. supra laudato, cujus ingenua illa confessio laudem meretur: in Lutheranorū cultu nihil idololatriæ, nihil superstitionis occurrere p. 91.* Ex Nostratibus verò D. Philippus Müllerus *Observationem succinctam Expositioni Bossveti opposuit, auctoriqve inscripsit 1688.* itemque Daniel Severinus Sculterus *Antididagma* elabo-

E

bo-

boravit cui & ipsum Bossveti opusculum subnexum est
Hamburgi 1684. videt Alberti d. g. m. l. e. d. e. m. p. p. p.

§. XVIII.

Sed longiùs quàm par erat, animum illa methodorum
commemoratio abstulit: quàm superfedere vel ideò non
poteram, quòd ex latebris illis repetenda Walenburchica
sententia erat, in quas sensim paulatimque, nonnunquam
& immoderatiùs se diffudit. Jam verò, cum universo
hostium genere minimè conflagam, sed carptim perse-
quar præcipua, & quæ post confectam stragem iterum
prosiluere, saltem vindicabo. Principiò autem nihil va-
nius, aut perfidum magis est, quàm sanctis Manibus affin-
gere, cujus ne minimam quidem occasionem per omnem
vitam dederunt. Imò verò, quod Dialectici in more po-
situm habent, conversis argumentis demonstrandum mi-
hi sumam; methodum hanc ipsorummet Donatistarum,
multæ dementiæ & ambitionis hæreticorum, quos sibi op-
pugnandos delegit Augustinus, propriam fuisse. Au-
gustinus certè in his omnibus noster est, sed Donatistæ non
alii, quàm qui in absurdâ hâc methodo describuntur: id quod
ex *Breviculo collationum cum Donatistis, ex libro de uni-
tate Ecclesiæ contra Petilianum, item contra Cresconium
Grammaticum quæ Tom. VII. Operum continentur, cla-
rissimè intelligas. Nam i) moratorias tergiversationes necte-
bant illi, quæ nihil aliud sunt quam hodiernæ Pontificio-
rum dilationes quas ad probandum afferunt, unde Au-
gustinus invehitur in ipsos: Proinde removeantur omnes mo-
ratoria tergiversationes de Unitate Ecclesiæ. Cap. 15. 16. Quæ
fiverunt enim personas petitorum, non ob aliud nisi ut li-
ceret iis, personarum discussione longissimas temporum &
dilationum moras inferere: Quoniam vehementer volebant
ut perveniretur ad causam, in quâ se nihil habere, quod di-*

ce-

rent, sicut res ipsa postea patefecit, plenissimè sciebant. Dicente Augustino in *Collatione diei. III. (2)* Donatistæ modò ex foro |petito limatare, quam conferre sententias glebant: *studium pro veritate certandi, quia saepe voluimus cum vestris conferre, ut errore sublato fraternam charitatem pacis vinculo neq̄teretur, contentionis & animositatis nomine reprehendis. Nonne melius, obsecro Te causa veritatis pacificis verbis inter Episcopos ageretur, quam in foro ab Episcopis per Advocatos litigaretur, ut queritur August. contra Crescon. Grammat. Lib. IV. c. 3.* Atq̄vi idem cum Walenburchiis Pontificii agunt, qui Patronos ex forò advocant, adeoque artibus inde petitis quarunt elabendi vias, ut nuper admodum quidam Ferrandus Advocatus Parisiensis, Librò edito, opem Clero Gallicano laturus, *Ecclesia Romana causam egit, contra Protestantes iniquos petitores (3) cædem ac sanguinem spirabant Donatistæ, quo propagarent Ecclesiam & tuerentur: Quod objicit iis Augustinus, seque & suos ab illius tyrannidis suspicione liberat: cades & mortes, nec facimus, nec jubemus. Imò, ne quidem leges lenissimæ cõercitionis adversus vos movemus, nisi ut Ecclesia Catholica propter infirmorum fragilitatem, ut liceat eis sine timore eligere, quid teneant, vel sequantur, à vestris terroribus libera præstetur. Quin in vestra vel vestrorum potestate posuimus, ut etiam sectantes heresim vestram nulla damna patiamini, si nullas Catholica sive à vobis, sive à vestris, violentias patiatur c. Petit lib. 2. c. 92. & de Unit. Eccles. c. 17.* Quantum hæc à moribus Pontificiorum absint, judicent cordati. Hæc enim stabilienda tyrannidis firmamenta esse Paulus IV. moribundus intellexit, ideoque hortatus est, ut sanctissimum (sic illud vocabat) inquisitionis officium, quo uno S. sedis auctoritatem niti affirmabat, commendatū haberent, teste *Ihuano.*

Lib. XXIII. p. 404. Reddant igitur nobis Augustinum, probantem sua omnia ex scripturis, æque ac nostrâ consuetudine receptum est. *Ibi inquit, sunt causa nostra documenta fundamenta & firmamenta de unitat. Eccl. cap. 16. Et cum illi eligant Ecclesiam ex verbis hominum non Christi, nos cum Augustino regerimus Christum esse interrogandum, quis foret schismaticus, quis orthodoxus Contra Petilian. L. 2. c. 84. 85. edit. Froben.*

§. XIX.

Ceterùm quod *Defensionis* viam attinet, in qua nescio quod negandi ac tergiversandi per fugium sibi quærunt Walenburchii: pridem hinc Pyrrhonismi & Scepticismi quædam labes ipsis aspersa fuit. Nam dum ita negantis provinciam sustinent, ut ne ad reddendam quidem negatæ rei causam adstringi se putent: adeò sibi malè consulunt, ut in saniorum quoque Dialecticorum leges impingant. Nimirum commuui Disputantium consuetudine invaluit, ut alter *interrogantis impugnantis ac probantis*, alter *Respondentis negantis ac defendentis* tueatur partes, nec aliter fieri potest, quin diverso uterque munere defungatur. Interim verò, sicut miles nunquam se defendit, quin aliquando eruptione facta, munimenta hostium adoriatur: nec qui obsidet, ita semper impetum facit in mœnia, quin aliquando suimet ipsius præsidium suscipiat: Ita nec qui Opponentis, nec qui Respondentis spartam ornare sustinet, adeo omnibus se partibus privat, quin si usus postulet, ultrò citroque illæ commutentur. Quare & Respondens, nisi velit *δυσκολεύειν*, aliquando *ἀντεπιχερεῖν* tenetur: quibus enim rationibus ut Philosophus Lib. VIII. Top. 3. inquit, *infirmitate nostra decreta ii qui interrogant, iis ipsis resistere debemus.* Nimirum is probare debet, cujus est sententiam suam inculcare atque docere: Jam illud non affirmantis

tis

tis tantum, sed & negantis munus est. Quicumque igitur docere alium vult: aliter id facere non potest, quin probet quæ adstruit, ut *Calixtus differit, Digress. de Arte nova p. 181.* probandi enim necessitatem docenti ipsa rerum natura imposuit, quam proinde excutere velle, cum stoliditatis tum desperatæ causæ argumentum foret: Quin & ipsis disciplinarum principiis, si forte negentur illa: quæ fieri potest ratione, & nonnunquam aliunde ascitis subsidiis fides conciliari debet. Receptæ quidem ac tritæ Jctis æquæ ac Logicis regulæ sunt: *Affirmanti incumbere tantum probationem, It. Factum negantis per rerum naturam nullam esse probationem &c.* quas regulas α) ne Dialectici quidem sine virgulâ censoriâ dimittunt, qui & Modos Figurarum negativos producunt, quos supervacaneos fore, perspicuum est, si negativis conclusionibus probandi vis adimeretur vid. *Dannbauer. in Idea bon. Disputat. p. 100. seq.* adde *Celeberr. Weberum, Preceptorem ac Patronum meum etatem venerandum, Progymn. Logicis p. 300. seq.* Quin β) in propatulo est, fori aliam, aliâ disciplinæ esse conditionem, in qua utraqve pars versatur. Jam qui in doctrina sive theoretica sive practica asserit v. g. hoc sive illud medium fini consequendo idoneum: neque tamen quod asserit, juxta probat aut confirmat, fidem nullam meretur: Quidni in doctrina, quæ fidem & religionem explicat, idem faciendum putemus? Et quemadmodum discipulo vel auditori, si quod proponitur, probari non posse intellexerit, satis est causæ, cur dissentiat, vel assensum suspendat, ita meritò conqveruntur *Walenburchici*, surdis narrari fabulam, si quod negant illi, nulla negationis addita ratione, à *Nostratibus*, ceu absonum explodatur. Itaque in rebus humanis locum habet regula ista, cum, simplices negativæ factorum probari nequeunt, quia quæ nec contingere un-

quam, nec præsumuntur, eorum probatio frustranea est. In rebus autem divinis, quia negativæ affirmativis oppositæ, *virtualiter diatheticæ sunt*, ut acutè hæc dirimit B. Hülsemannus: *idcirco oportet negationibus hisce subesse causam aliquam probabilem, cur negent? aut verò pro temerariis negationibus habendas esse: De rebus enim captum nostrum planè superantibus & naturalem nostram notitiam fugientibus, temerarium est quicquam in alterutram partem statuere, an sint vel non sint? an tales sint vel non tales? Atque hinc fit adeò ut in divinis non liceat temere negare, quod negare impune licet in humanis, & negationes de rebus divinis, æque requirant negandi causas quam affirmativæ. Ratio hujus diversitatis est: quod in humanis nihil affirmetur, quin ratione aut sensu naturali possit comprehendendi, & id, quod impune negatur citra onus reddendi de ratione causas negandi, sic oporteat esse comparatum, ut non soleat ordinariè & naturaliter contingere aut raro, ideoque nulla præsumptione existentia sua gaudeat. De Præscriptione n. XV. p. 17.*

§. XX.

Itaque suâ fragilitate corrui ratio, quam à natura accusati petunt Batavi, cum, ut responsum modo est, litigandi forum à docendi palæstra longissimè distet, nec liquidum sit in trutina veritatis, præsertim supernaturalis, ubi omnes per naturam æquè cœcutimus, quis Respondentis vel Opponentis vicem subire debeat. Quia opponendi & Respondendi officia, formaliter alias diversa in actu exercito ita separari nequeunt, quin ultrò citroque subinde remeant, ut Danhauerus loquitur in *Dialectica sacra* p. 310. hinc in Colloquio Ratisbonensi vices illæ sic alternatæ sunt, ut, cum prioribus sessionibus nostrates probassent, posterioribus deinde probandi munus in Bavaros sit translatum vid.

vid. *Aegid. Hunnius in Colloq. Ratisb. p. 30. 33.* Quod nisi
obtineret in solennibus Colloquiis quis confideret futu-
rum, ut partes inter se dextre committerentur. Sic in-
dictum autoritate *Comitis de Parabere Anno 1625.* Collo-
quium fuerat Cognaci inter *Gvilielmum Rivetum & Gilbertum*
Roussseau Jesuitam. Cumqve hic ex lege Methodi
Veronianæ respondendi munere potiri solus vellet, nec
Riveto illud pro re data permetteret, non convenerunt in
Colloqvii conditionibus, sed re infectâ discesserunt: Ri-
veto postmodum de verò ac genuinò disputandi modo
scriptum edente, ut refert Ruëlius in *Histor. Concilior.*
Pericop. XVII. p. 849. Itaque nostrates in Colloquio Tho-
runiensi hanc litem dirimerunt: *licebit juxta seriem ar-*
ticulorum à confesso sic procedere; ut postquam Catholici,
unam affirmativam, uni articulo ejus confessionis oppositam
probendam susceperint, probaverint, & terminaverint.
Tunc enim demum incumbat ejus confessionis professoribus,
unam vicissim affirmativam confessioni à collocutoribus ca-
tholicis, liquidatè oppositam proponendi, probandi & termi-
nandi necessitas. Atque ita deinceps alternatim, cum eò-
dem onere & jure affirmativas & negativas partium pro-
ponendi, deducendi, & evincendi procedetur. *Colloq. Turo-*
niens. Sect. 2. p. 302. Quod alteram attinet rationem ex ju-
re & titulo *Præscriptionis* accersitam, pridem discussit
illam nostrates, ut, quid mihi reliquum sit sublegere, haud
facilè inveniam. Proinde pari jure, quò sua toties repe-
tunt adversarii & eandem tibi iam inflant, integrum mihi
nunc fuerit, B. Hülsemanni iterare & strictim allegare
Responsionem, quæ huc usque invicta manet, & nullis ma-
lorum concussa invasionibus salva triumphat. *Disput. de*
Præscriptione §. XI. p. 13. Nam 1) probare Pontificios jubet,
quo potissimum titulo cœperint possidere e. g. hanc opi-
tio-

nionem: non licet laicis accipere Eucharistiam sub utraqve specie: necessum est omnes eos qui Eucharistiam aliis exhibituri sunt, voto perpetui calibatus adstringi &c. Nullas enim res sacras sine titulo proprietatis possideri posse Dillingenses affirmant, ita, ut si non adsit proprietatis causa, mera detentio judicetur illa quasi possessio, *Composicione Pacis Num. X. c. 9.* (2) terminum definiri cupit, à quo, possidendi ejus ceperint initium: quod enim à nobis aliàs requirunt, ut doceamus videlicet quo die, quo anno, quo consule, cœperit hæc vel illa traditio ipsorum contra jus divinum: ad illud ipsi obligantur: Legibus enim sancitum est, ut præscriptor determinet & doceat initium, quò cœpit currere ejus possessio. (3) probatum dari cupit, num opinio illorum objectum habile sit, quod possit usucapi & præscribi, cum circa bona quidem non veritatem perinde ac falsitatem præscriptio versetur. (4) illud maxime quærit, utrum ab initio usucapionis quietè & citra contradictionem continuè occuparint, cujus rei contrarium ex Græcorum, Waldensium & Hussitarum historia demonstrari potest. (5) denique si vel maxime possessum atque præscriptum sit, quod intendunt, an propterea verum illud & à Deo revelatum? Quando & Arriani & Græci Armeni & Arabes ab annis M. CCC. plus minus in hunc usque diem & Muhammedani ab annis prope mille opiniones suas de religione præscripserunt, neque hoc ipso tamen evincunt, verum & divinitus revelatum esse, quod opinantur. Imò sequitur per hanc assertionem, *diabolum ipsum mendacium contra Evangelium præscribere posse*, quæ instantia est Scherzeri in *AntiBellarm. Disput. I. p. 32.* Præscriptio igitur cum finiatur termino à quò, & ad quem 40. annorum spatium secundum jura communia: detrahit eò ipsò antiquitati, quia novatio per quadra-

draginta annos durans, præscribit juri isti quod ad anti-
quum possessorem pertinebat. Atque illud philosophiæ
ope sic conficio. Præscriptio vi nominis & definitionis
juridicæ vocabulum privativum est, adeoque supponit ha-
bitum in alio extra se cui detrahit; & antiquitati non mi-
nus quam cæcitas visui opponitur: antiquitas autem, quæ
v.g. solos libros Biblicos veros esse ostendit, eo quod hæc
scripta ante cetera omnia monumenta extiterint, quæque
adeò demonstrat, dogmata in illis libris contenta esse vera:
non significat durationem XL. annorum, seu Terminum
illum, qui jure humano positivò ad præscribendum defini-
tus est, aut durationem C. annorum, quæ vulgò vocatur
immemorialis præscriptio, sed dicit antiquitatem absolutam
& exclusivam omnium aliorum monumentorum de fide
existentium, id est excludit omne simile in illo genere.
Quale per præscriptionem non excluditur, sed supponitur
potius, tanquam relatum & præexistens ad quod refertur
& respicit præscriptio quia præscriptio est exceptio novissi-
mi possessoris, saltem XXX. aut XL. annis possederit, con-
tra possessorem antiquum, qui rem suam ideo repetit, quod
possederit antequam currere cœpissent totidem illi anni
recentioris usurpatoris. Unde apparet antiquitatem &
præscriptionem non esse Synonyma, nec homogenea sed
opposita potius se mutuò destruentia & perimentia: Quia
præscriptio privat antiquitatem jure suo: proindeque
non est idem: , disputare & argumentari ab Antiquitate
& à Præscriptione; sed is potius qui à præscriptione ar-
gumentatur, eo ipso fatetur: se contra antiquitatem seu
antiquum Possessorem argumentari, tanquam adversus
hostem suum, cui per novissimam possessionem, ejusque
per XL. annos continuationem præscribere cupit. *Vid.*
præter B. Hülsem. L. c. Frideric. Seylerum in Româ Titu-
F *ban-*

bante p. 2. seq. Hermann. Hildebrandum Orat. Inaugural.
de Prescriptionibus Pseudo-Catholicorum contra Walenb. ed.
Herbornæ 1680. adde imprimis Voetium de Desperata Cau-
sa Papatûs, contra Jansenium Lib. II. C. 6. 25.

§. XXI.

Nunc libet alterum hujus methodi caput aggredi,
quo probandi onus subterfugiant Artis novæ Structores,
& in Protestantes omne illud devolvunt. Augustinum
profecto hujus methodi causas procul habuisse facile o-
stendam. Cum de Catholica Ecclesia ejusque demon-
stratione contendit cum Petiliano Donatista primas pro-
bandi partes occupat Vir Sancto, Libro de Unitat. Ecclesiæ,
& ex Scripturæ sola probare, à capite IV. ad XII. pergit, ac
tum demum ad argumenta Petiliani se convertit. Rursum
ubi de *oppositio* cum Feliciano-Arriano concreditur, ipse, ut
solet personam proponentis assumit, rationem redditu-
rus fidei suæ: cumque perpetuis scripturarum testimoniis
pugnaret Augustinus, queritur Felicianus *quod de quo-*
dam testimoniorum ostentatione colloquentibus prescribere
ret contra Felicianum T. VI. C. I. seq. Iterum, ubi cum Ma-
nichæis disceptatio de missione Spiritus Sancti oritur sic
ipse ad Felicem Manichæum: *Quamvis prior ad interro-*
gata mea respondere debueris (seu probare affirmatum, Ma-
nichæum, nempe fuisse paracletum) *tamen ecce prior e-*
go respondeo & ostendo Tibi quando missus sit Spiritus San-
ctus in Acticum Felice Cap. II. T. VI. Assertionem nimi-
rum catholicam primo loco probaturus. Nec minus
usitatum fuisse Augustino demonstrandi studium in con-
certationibus contra Faustum Manichæum, contra Maxi-
minum Arrianum, contra Parmenianum, Cresconium,
Emeritum & Donatistas alios: contra Pelagium, Julia-
num Cœlestium & ejusdem farinae homines, monumen-
ta

ta ipsius abundè testantur. Militarunt hoc bellum Hülsemannus, Calixtus, Dannhauerus aliique plures & petitis argumentis ab exemplo disputationis à Christo institutæ, ab Apostolico disputandi processu, à priscorum doctorum controvertendi more, id confecere pridem quod nunc recruduit passim & camarinam denuò movit. Ex rectâ ratione & qui ea utuntur, Dialecticis, id evincimus, onus probandi ad illum pertinere, qui alios docere suosque reddere discipulos cupit. Nam quod illi adeò extimescunt probandi munus, minimè dijudicatur ex qualitate logica propositionis: quæ qualis quanta sit enunciatio? neque ex dispositione terminorum, utrum prædicatum affirmetur de subjecto, vel negetur: sed æstimatur intrinsecè quidem à convenientia propositionis vel inconvenientia cum sensu communi & experientia hominum, adeoque tenetur ad probandum is, qui affirmat vel negat quicquam non obvium, vel obvium communi sensui omnium hominum; extrinsecè autem dependet ab intentione affirmantis vel negantis: utrum petat affirmatione vel negatione sua quicquam ab alio ex communi sensu hominis sibi non debitum. Quod ut rectius capiatur, Respondentis nomen ambiguitate sua liberandum est, vel enim *precisè* Respondentem Dialectici vocant, qui tantum solvit argumentum adversus thesin oblatam, formæque & materiæ ratione habita, negandi, distingvendi & limitandi negotiò defungitur; vel *complexè* hoc nomine is salutatur, qui assertiones proponit examinandas in Collegio vel palæstrâ disputandi publicâ, easque pro virili defendit, nec diluit tantum quæ objecta sunt, sed & oppositam thesin rationibus communit. Jam Walenburchii nostri priori sensu Respondentiū tueri partes in capitibus fidei cupiunt: cum ex supra dictis constet, ipsos non nisi negandi concedendiq; & distingvendi

locum sibi vindicare: quin & sibi subijci prius volunt Protestantes, tanquam discipulos & subditos, antequam ipsi incipiant docere, at ne tunc quidem teneri se ad docendum ajunt C. II. §. 4. Non aliter ac si Medicus diceret ægroto, (quo nomine nos habent Methodistæ) abstine prius & exue Te à morbo tuo, postea Tibi propinabo medicinam, ut à morbo convalescas. Verum nec Respondentem præcisè spectatum, probandi onere certis quibusdam casibus exemptum esse, legibus Dialecticorum ita cautum est. 1.) Cum Respondens aliquam Præmissarum vel negat vel limitat: ejusdem sive negationis, sive limitationis dare rationem & restrictam thesin ἐπισημίζειν, nisi eam relinquere velit, communi disputantium jure tenetur. Id quod ex actis Disputationum publicis assererem, nisi tam claræ rei lucem affundere supervacaneum foret. 2) Rursum, ubi Respondens infringit consequentiam Syllogismi per quandam instantiam, qua universalitas principii invertitur: non modo probantis sed & argumentantis sustinet vicem, utpote qui Opponentem ad absurdum deducit: quanquam non argumentetur ille, respectu conclusionis objecti Syllogismi, sed respectu principii, quod particulare esse arguit, eoque ipso non conclusionem opponentis propriè impugnat, sed infirmitatem argumenti tantùm opposita quadam ratione ostendit. Qua de re conf. Keslerum pulcherrimis exemplis rem illustrantem in *Ratione Disput.* p. 311. 3.) Cum Respondens negat locum Scripturæ ab Opponente allatum, eò sensu accipiendum esse, quò ille profert, sed alium ejus sensum esse docet; adeo probantis ille tuetur nomen, ut parum absit à munere Opponentis: id quod ex Disputantium consuetudine eruditè creberrimè observatum est. 4.) Quod si Opponens Syllogismum Respondenti objiciat, cujus minor propositio primæ figuræ sit in-

fini-

finita, infiniti prædicati (particula negante ex subjecto majoris deducta) vel negativa in secunda figura, efficitur omninò, ut Respondens ad argumentandum adigatur. Itaque in ejusmodi syllogismo: *Quodeunque dogma non habet fundamentum in sacris literis, illud non est articulus fidei, atqui hoc dogma v. g. (Purgatorium non existit,) non habet fundamentum in sacris literis, Ergò. Si quis ab Opponente postulet probationem, laterem lavat: cum hujus dogmatis vel unico fundamento ex Scripturis ostenso, Respondens & thesin Φυλάττειν & lucrari otium disputandi possit. Fusius eà de re agunt Hornejus de Processu Disput. p. 80. Keslerus Logica Photin. p. 308. Dannbauer. Idea boni Disput. Sect. I. c. 3. seq. Ex quibus omnibus addiscant Fratres illi, rectius ornandam esse, quam sibi sumunt, respondentis spartam, nec nisi cum discrimine deserendæ istius stationis deserere officium probandi posse.*

§. XXII.

Ne verò obtendant Walenburchii, his adstringi legibus se minimè posse ab iis, qui secesione facta Romano, Præsuli refragentur: In proclivi est, ostendere, primos omnium qui contra Lutherum strinxere calamum, docendi probandique arripuisse munus, illudque in rem judicatam veluti abiisse. Namque Tezelius impostor, & qui illo multò eruditior erat Sylvester Prierias, palatii Apostolici Magister, Pontificis ipsius & Archi-Episcopi Moguntini, arbitrio jussuque non solum non detrectarunt probandi provinciam: sed antequam ad confutandas Lutheri objectiones sese accingerent: theses suas ordine probandas rectè & confirmandas esse duxerunt, id quod vel ex inscriptione prioris disputationis Tezelianæ dispalescit, quæ hæc est: **QVO VERITAS PATEAT, ERRORESQUE SUP-**

PRIMANTUR, REDDITAQUE RATIONE
*contra veritatem catholicam objecta solvantur: Fratres
Johannes Tezel ordinis Prædicatorum Sacre Theologia Ba-
calaureus, ac heretica pravitatis inquisitor, subscriptas po-
sitiones sustinebit, in fragrantissimo studio Francofurtens-
si ad Oderam. A. O. D. XVII. Reliquæ quotquot sequun-
tur theses argumentis in medium adductis sollicitè pro-
bantur. Atque hoc longè clarius perspicitur ex postero-
ri disputatione eodem anno Luthero opposita, quæ L. po-
sitionibus constat, probationibus undiquaque & doctri-
nis expressis munita. Incipit autem prima, docendi sunt
Christiani, sic & secunda, tertia, quarta & sequentes pleræ-
que omnes his verbis utuntur: docendi sunt Christiani vid.
Tomus 1. oper. Lat. Luth. Ed. Jenens. fol. 159. Simili pror-
sus ratione Sylvester Prierias Lutherum aggressus est, qui
immisso in capite ejus dialogo de Potestate Papa, quem
Leoni X. P. M. inscripsit his verbis gloriatur Ita enim fiet,
(si, quæ elaboravi benevola censura dignatus fueris) ut
tanta sim posthæc fiducia ac tam fidâ loricâ instructus, ut
etiam Satanam ipsum in futuro certamine non extimescam,
imò avidus experiri cupiam, an ferreum nasum, aut caput
aneum gerat iste Martinus, ut effringi non possit? Ad quem
Dialogum etiam Leo ipse in Brevis ad Fridericum Ducem
Electorem Saxonie d. XXIII. Augusti Anno M. D. XVIII.
misso, provocavit quod Martini Lutheri impia & hereti-
ca dogmata à Magistro Palatii jam essent notata. V. Luth.
T. I. Opp. Lat. Jen. f. 160. Legantur quoque Acta Disputa-
tionis inter Lutherum & Eccium Lipsiæ celebrata, item
quæ Luthero cum Jacobo Hochstratenio, cum Cardina-
li Cajetano & aliis intercesserunt apud Sleidanum, Co-
chleum, Surium, Thuanum.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Ceterum rationes quas ad muniendam opinionem accersunt isti, & ponderis nihil habent, & à Nostratibus jam pridem sunt elisæ. Nam cum innoxium reatum obtendunt, nosque accusatorum loco ponunt, nihil hinc evincunt, quod fraudi nobis esse queat. Arctius quidem cõegisse terminos videtur Nihusius cum sic argumentatur: *nemo reus sive accusatus de crimine tenetur probare suam innocentiam accusatori, at Ecclesia est rea sive accusata de crimine à Lutheranis & similibus, Ergo non tenetur probare innocentiam suam accusatoribus istis l.c.* Verum evertit prius axioma Dannhauerus *in sara* ex ratione petita, cujus dictamine sæpe aliquis non tenetur ex juris rigore, ad quod tenetur ex alia quâdam virtute *Polemosophia p. 318.* Item in *Onirocrisi contra Walenburchios p. 128.* Neque etiam in negativâ facti, ut Jctorum Schola loquitur ejusmodi assertum valet. Sempronius enim homicidii Kalendis Septembribus Romæ commissi, accusatus, rectè probat innocentiam suam, si Kalendis illis Romæ se non fuisse ostendat, ceu in simili argumento respondet Calixtus in Digressione p. 182. Quid, quod & nos reos appellant Pontificii unde Tannerus in *Colloquio Ratisbonensi Sess. 10. p. 320.* *nullus reus, inquit, qui evidenter scit se damnatum iri, provocat audacissime ad Judicem, à quo scit evidenter se damnatum iri, sed heretici sunt rei.* Quare nihil impedit, quò minus in ipsosmet retorqueamus telum: Si enim omnis accusator tenetur probare, etiam Lojolitæ qui nos hæreseos vel Schismatis accusant à probando non eximuntur. Hinc Dannhauerus denuo à Walenburchiis lacesitus in *Somniis Polemosoph. p. 66.* Navarrum allegat Pontificium *Manuali Cap. 27. num. 23.* prorsus in rem nostram loquentem: *excommunicatio pel-*
lit

lit à judicio, ut non possit esse Actor aut Procurator Acto-
ris aut Rei: potest tamen esse reus quo se defendat. Qvò
ipsò cum manifestò contradicat Walenburchiis; his ar-
gutiis confundit illos: *Nullus reus tenetur probare, aliquis
reus tenetur probare, Ergo quidam qui tenetur probare, non
tenetur probare Onirocrisi. p. 128.* Cui quidem à Pontifi-
ciis nihil quod responsionis nomen mereatur repositum
est. Equidem misis aliis, contra B. Bebelium, Dannhaue-
ri Vindicem excipit Andreas Birnbeckius, Præsul Mogun-
tinus cum ille negasset *in rebus Theologicis & methodo lo-
gice disputandi, accusandi incumbere primo loco onus pro-
bandi*: ipsam rationem naturalem, in qua jus se fundat
probationem primo loco accusatori injungere. *Quid e-
nim tam æquum & naturali rationi conveniens, quam ut
is, qui alterum de crimine accusat ante omnia probare te-
neatur? Esto methodus disputandi logica in controversiis fi-
dei adhibeatur, ut scilicet argumenta fiant secundum regu-
las logica: De onere tamen probandi alterutri parti incum-
bente nihil statuit Logica in Defension. Method. Augustin. c.
2. §. 2. p. 59.* At enim verò æqvitatæ lege & lumine rationis
cognoscitur potius illud: *ipsâmes argumentorum solutione
innocentiam simul probari.* Nihil de Canonicâ lege di-
cam, quæ dum juramenti, ipsiusque Eucharistiæ usurpa-
tione innocentiam declarari permittit, probandi sane va-
lidissimam vim subministrat: Saltem evolvantur Justini
Martyris Apologiæ pro Christianis exarata, Arnobii li-
bri adversus Gentes, aliorumque Patrum vindiciæ pro ve-
ritate Christiana scriptæ: numquid aliud agunt, quam ut
probando innocentiam, cultum Dei verum tacitis velut
argumentis adstruant? Denique orationes Tullianas A-
pologeticas utrumque præstare, neminem latet: In Ro-
scianâ argumentis roboratur negativa, *Roscium non fuisse*
pare

parricidam, vicissim in Milonianâ : *Clodium jure casum à Milone*; affirmativa ostenditur : adeoque non retunduntur saltem adversariorum tela, sed & aperto Marte vibrantur. Deinde frustra quoque, à *Reformandi studio* probandi necessitas nobis adjudicatur. Namque argumentationes hinc diductæ ejusmodi sunt, ut nullo negotio inverti queant. Qui errores comprimit, revocat fidem, perculsaque & prostrata instaurat, vel ideo aperire moliminis istius causam non tenetur, quod superiori se instructum auctoritate novit, & reconditas secum leges habet, quas ipso facto exequitur. Quin & indignisse reformatione Pontificios, ex ipsorumet confessione constat. Innocentius III. ideo indixit concilium IV. Lateranense 1225. ut *reformationem universalis Ecclesiæ* (hoc est in fide & moribus ut Binius ipse explicat in *notis ad hoc Concil. T. III. f. 679.*) valeat intendere cum effectu. Idem fatetur Hadrianus VI. & cum illo tota Germanorum natio in gravaminibus suis apud Sleidanum, *Lib. IV. Comment. Relig. 461.* confer in hanc rem librum ante reformationis initium editum, cui nomen : *Onus Ecclesiæ*, quem excerptit Heideggerus *Hist. Papatus p. 208.* Quare probare tenentur ipsi Pontificii, se emendasse falsa illa dogmata & pravos mores correxisse. Illud verò parum abest à contumelia, quod in minori propositione argumenti supra allati causam reformandi à nostratibus ostensam esse inficiantur: Testor Symbola fidei nostræ, quæ tantâ summorum Principum ipsiusque Imperatoris auctoritate communita sunt, & vel ipso sanguine expiata : in partes voco tot Synodos & Colloquia, in quibus causas suas nostri perorarunt abunde: ad tot libros & volumina sapientissimorum virorum provoco, quibus contra fremitum & motum audaculorum temerarium, cœlestis veritas asserta religiosè & vindica-

ta est. Postremò quod à successione petunt argumentum elumbe non minus & languidum est. Nam ex Luce Actorum probat B. Hülsemannus Leonem X. Romanum Episcopum contra provocationem ad universale concilium catholicæ Ecclesiæ & suspensò per appellationem hanc jurisdictionis exercitiò, de facto separasse se à Luthero & omnibus ejus asseclis, quin & alios, ut idem facerent, instigasse & compulsisse per Bullam Excommunicationis anno 1518. temere publicatam *Disf. de Prescriptionibus p. 112.* Nos igitur primi communionis vinculum non rupimus, sed violenta Pontificis censura divulsi ab hoc cætu sumus. Et si vel maximè dissociatis animis in partes etiam discesserimus, hoc ipso tamen ab onere probandi Pontificii quam minimè sunt immunes. Iphis enim incumbit adducere sollicitationis causas, qui ad revertendum nos sollicitant. præsertim *cum nemo nascatur cum notitia ritè & salutariter colendi Deum. Nam hic cultus jure gentium à nemine potest exigì, (nullo jure, nulla lege igitur nos cogere possunt ad Romanam fidem modernam capeffendam) & naturaliter non potest in esse, igitur necesse est, ut svadeatur quod non fit per Dnn. Walenburchiorum methodum.* uti differit D. Scherzerus in *Anti Bellarmino Disp. I. p. 30.* Plura ad hanc disputationem attulit Johannes Sylvius in *Walenburchiis Correctis, Amstelod. 1676.* ubi nervosis antithesibus adversariorum theses disjicit *Part. c. I. p. 40.* adde Spanhem. de *Prescript. p. 140.* cujus asserta nuper audacter transtulit Anonymus, qui Placentii de Verona nomine inclarescere voluit in *Mediis quibus Roma Papalis conservata est ed. Calymmatiopoli 1688.*

§. XXIV.

Nec quicquam præsidii à recentioribus comparatum est, quod assertis nostris opponi posset. Ac multi quidem
vul

vultu ac sermone in nostros placatiori sunt nec tam à do-
ctrina quàm à potestate Pontificia nos ajunt secesisse. In
quam sententiam concedit Feurius Doctor quidam Pari-
siensis in libro *de Mediis convertendi Reformatos 1684.* qui
non de uniendâ demum sed jam unitâ utriusque religionis
fide agit, eamque ob causam acriter invehitur in J. Arnol-
dum, quod tantam utrinque distantiam & sententiarum a-
byssum somniarit, Libro adversus illum edito: *Replique
à Mr. Arnauld pour la defense du Livre des Motifs invinci-
bles par le Feure Docteur en Theologie de la Faculte de Pa-
ris 1682.* Alii contrà exardescunt in pugnam & si quod
vincant, haut inveniunt, saltem quærun quod impetant, &
excitatis è simpulo fluctibus sub vertant. Ita *Regula Cre-
dendorum seu methodus Polemica* Anonymi extat *ad omnes
homines à vera religione dissentientes, clarè breviterque con-
vincendos 1684.* Ubi ex hoc principio *aliquid esse verum*
probare instituit, 1.) *etiam esse verum Deum*, si autem sit
verus Deus, esse: 2.) *veram religionem*; & si sit aliqua vera
religio, esse 3.) *aliquam veram & revelatam religionem*, &
si aliqua revelata sit religio, esse 4.) *Christianam religionem
veram* & si Christiana est vera 5.) *Catholicam Romanam*
(hanc enim p. 25. intelligit) *etiam religionem esse veram &
consequenter ab omni errore fundamentali liberam* & inde
6.) colligit, *quod nullo modo tanquam articulum fidei, do-
ceat errorem, sed ab omni prorsus errore & corruptio-
ne sit immunis.* Cui auctori vereor, ne idem quod Ma-
cedonum Regi, accidat, & à pueris & qui vix tyrocinium
Logices posuere, confutetur. Sunt & eò progressi non-
nulli, ut methodum hanc ex ipso Euclide instruere & pro-
positionibus involvere Mathematicis conati sint; Quos
homines jam pridem egregio Libello ludificatus est non
nemo, qui *Jani Alexandri Ferrarii Canobita Augustiniani*

nomine latere voluit in *Euclide Catholico ad Reverendiss. Viros, Hadrianum & Petrum de Walenburch Parisiis 1666.* Quem autorem, cum Walenburchiorum defensionem præ se ferat, pro suo habuere initio Pontificii: Sed attentius postea inspectum, athei & scelesti hominis loco posuerunt vid. *Dorotheus Ascianus in Montibus Pietat. p. 551.* Verùm non nisi jocosum & Satyricum, atque ad exagitandas Romanæ fidei, quas ejus Promachi crepare solent demonstrationes, à celebri quodam Reformatæ cathedræ Professore Theologo adornatum esse scriptum, nobis exploratum est. Et duo quidem potissimum sibi persequenda sumsit auctor: alterum est, ut doctrinæ hujus proderet futilitatem & Ecclesiæ Pontificiæ ruinosam fundamenta subverteret, quæ *definitione una, axiomate uno ac denique postulato* adstruere velle videtur. *Definitio* ita habet: *Ecclesia est imperium Spirituale, sed visibile, quo homines fidem ab uno Spirituali, sed visibili capite, Pontifice scilicet Romano, Præscriptam profitentur, conformemque ei obedientiam præstant.* *Axioma* est: *Quicquid ad Ecclesiæ hujus defensionem atque amplificationem facit, id omne & solum censeri debet verum esse, pium, atque Sanctum.* *Postulatum* denique sequitur: *Liceat Ecclesiam hanc extendere usque ad finis terra.* Quæ singula ita tenuiter connectit, ut eorum pelluceat fragilitas, & vel ipsa demonstratione destruantur. Alterum est ut pro ridiculo ac delectamento habeat methodum ex Matheseos arte attractam, & iis applicatam rebus, quæ nullius demonstrationis capaces sunt. Ac illud quidem judicium prorsus eximium est, & intelligentioribus probatum: Quod si enim certitudinis aliquid rebus accedit per methodum Mathematicis receptam, consequitur, opiniones quasvis absurdissimas hoc ipso reddi certas, cum nulla sit inepta opinio, quin eodem modo disponi atque

que tractari possit: quod argumentu... *Waltberi est, Viri hujus scientia fama Celeberrimi in Controv. Phys. MSC.* Et quæ tandem illa demonstratio est? quam in evincenda DEI existentia adhibet Bened. Spinoza, cum propositioni huic: *DEUS, seu substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam & infinitam essentiam exprimit, necessario existit:* subjungit connexionem hanc demonstrativam: *Si negas, concipe, si fieri potest, DEum non existere: Ergo ejus essentia non involvit existentiam: atqui hoc est absurdum: Ergo DEUS necessario existit.* P. I. *Ethices cap. VIII. p. 46.* Ita homines illi veritati ipsi convicium faciunt, lucem eripiunt sanæ rationi, & quasi noctem quandam rebus clarissimis offendunt.

§. XXV.

Quibus ita adstructis, proximum nunc est, ut quæ circa porismatum & consequentiarum usum affingunt nobis Batavi, excutiamus. Dum enim profitemur, solam nos Scripturam agnoscere controversiarum judicem, & orthodoxæ fidei normam, seclusâ, quam illi tam avidè recipiunt, traditionum mole: iniquiùs id interpretantur homines, & si quid in rebus fidei affertur à nobis, quod totidem verbis & syllabis expressum in Scriptura non sit: petulanter insultant, indignisque contumeliis nos lacerant, ac si quisquam nostrum tam stupidus fuerit, ut, cum purum Dei verbum urget, organa juxta & consequentiarum media sequestrârit. Quam ob causam *Syllabica Disciplina* nomine hanc artem Galli exhibent in *Disput. Sedanens. P. III. p. 82.* In Augustino sanè hujus rei vestigia frustra quærant illi: quando clara quidem testimonia à Donatistis expetiit Vir Sanctus, nec alia quam ad rem facientia oracula facile admisit: Sed quem Consequentis reliquerit ille locum, vel

ex Doctrina ejus Christiana intelligitur, ubi de Dialectices
usu differens, aliquot capita de Consequentibus subnectit.
Lib. II. Cap. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. Jam si ad illo-
rum exemplum nugari colliberet, in eodem argumento
par pari relatum foret. Dum enim ex Scriptura suas pro-
bare superstitiones ingrediuntur, nihil profecto minus fa-
ciunt, quam ut Scripturae beneficio id evincant. Præterea
si non licet in differendo de doctrina fidei quicquam pro-
ducere, nisi quod totidem verbis ac Syllabis in Scriptura
continetur: non licebit sermones habere sacros, nec scri-
bere Commentarios in Scripturam: nec fas erit recitare
Symbolum Apostolorum, quin imò nec affirmare licebit
in Novo Testamento tantum quatuor esse Evangelia. Ita
nec Carolus aut Antonius legi divinæ obsequi, nec credere
in Christum tenentur, quia Scriptura nusquam prodit hæc
nomina, nec diserte Carolum vel Antonium fide Christia-
na instructum cupit, sed singulorum officia ex universali
lege necessaria consecutione deducit. Quid? quod nec
idololatram quidem cognoscemus ex Decalogo, nec quem-
cunque peccatorem, quando nec omnium commentitio-
rum Deorum contexit numerum, nec singula individua
ἀντολέξει de peccatis arguit. Pulchre hos perstringit Gre-
gor. Nazianzenus cum in Oratione de Cypriano sub finem
vocat *θηρευτὰς συλλαβῶν καὶ λέξεων. Venatores Syllaba-
rum & vocabulorum.* Idemque Oratione XXXVII. quæ est
quinta de Theologia, invehitur in eos, qui inhærent literæ,
quodam pietatis obtentu: *Ἐνδυμα τῆς ἀσεβείας ἔστιν αὐτοῖς ἡ
φιλία τῶν γράμματων*: Amor, inquit, literæ, ipsis involucrum
est impietatis. Proinde transigant illi prius cum Bellarmi-
no, Petronio, Salmerone, Vasquezio, cum Thomistis ipsis
& Scotistis, qui toti horrent aculeis Syllogismorum, ipsum-
que Paulum ad Aristotelis leges revocant, & Theologiam
tan-

tantum non philosophica veste induunt. Nemo igitur humanæ mentis compos ut maxime rudis ac bardus sit, negabit facile, ex duabus enunciationibus aptè junctis, necessariam confici conclusionem. Etsi quoque altera præmissarum hausta sit ex Scripturis, altera verò ex principio communi innotescat, & ab adversario admittatur: tamen conclusionem nativa quædam & naturali propensione consequi oportet. Sic ex Scripturis dicimus: *omnem hominem esse mendacem*, ex sensu verò & communi omnium confessione addimus: *Philippum esse hominem*, unde planum est confici: *Philippum esse mendacem*. Prolixius hæc tractat *Spanhemius* in Tractatu *de Consequentis* per integrum. Ex quo repetita sunt plurima *Syntagm. Disput. II. p. 230.* It. *S. Keslerus* aurea tractatu *de Consequentis p. 16.* Sed longè fortius ex SS. oraculis id demonstrant Theologi nostri, in quorum nunc adyta irreverentiùs intropicere, religio est. *vid. B. Calov. T. I. System. p. 609. B. Dorscheus P. II. Theol. Zacchar. Disp. I. p. 51. seqv.*

§. XXVI.

Neque verò desunt Reverendis Fratribus, quæ obvertant: sed quàm illa disfiliant à scopò & primis disciplinarum rudimentis, bonæque adeo doctrinæ adversa sint, restat, ut ostendatur. Quod enim *primum* attinet ubi de Consequentiarum difficultate conqveruntur, plebejos animos longè supergrediente: per opportunè cum *Augustino* inter *connexionum regulas & sententiarum veritatem* distinguimus: aliud enim est, ut graviter monet magnus Doctor, *nosse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem, in illis discitur quid sit consequens, quid non consequens & de ipsa connexione judicatur. In veritate autem sententiarum ipsæ per se sententiæ non earum connexio consideranda est.* Lib. II. de doctrina Christiana Cap. XXXIV.

XXXIV. Prius illud ad Magistros interpretandi peritos
pertinet: Posterius cadit in homines etiam rudes & igna-
ros: quin, nisi de eorum salute desperandum sit, cadere
oportet. Namque lumen revelationis supernaturalis
quatenus sub eò fides simpliciter concipitur communes
notitias & communissima quædam principia luminis na-
turalis supponit, atque ea hæcenus sufficiunt: quatenus
autem sub eodem fides explicatur, confirmatur, defenditur,
accuratiorem cum regularum connexionis, tum veritatis
sententiarum, quæ vi luminis naturalis innotescunt, cogni-
tionem exigit. Pulchrè igitur hoc expedit rursus Augu-
stinus cum *aliud est*, inquit, *scire tantummodo, quid homo
credere debeat: aliud autem scire, quemadmodum hoc
ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur libro
XIV. de Trinitate. cap. 1.* Majorem enim Christiani popu-
li partem sive *turbam* (iterum cum Augustino loquimur)
*non intelligendi vivacitas verum credendi simplicitas, tu-
tissimam facit.* Quippe si propter solos eos Christus mor-
tuus est qui certa intelligentia possunt quæ ad fidem perti-
nent, discernere venè frustra in Ecclesia laboramus. Epist. 102.
Hæc talia, aut dissimulant, aut pervertunt novarum artium
Magistri. Qui si nos, quia divinas revelationes admitti-
mus, easque quatenus ad salutem nostram nobis præeunt,
Canonicis scripturis, quod satis sit, exponi statuimus, ideò
quicquid sensus, experientia & recta ratio dicitur, ejurare,
vel repudiare persuasi sunt, longè falluntur. Si autem
ipsi id totum propter admissas revelationes, sive eas solis
Scripturis sive non solis sufficienter comprehendere credant,
rejiciunt & excludunt, velim ut hac facta hypothese de-
monstrent doceantque nos, unde certi sint *se esse homines.*
Nisi enim homines sint, nihil ad ipsos revelationes, nihil
promissiones, nihil Ecclesiæ sacramenta. Nam non nisi
pro-

propter homines, & illæ promulgatæ, & hæc instituta. At Contierium, Arnoldum, Veronium Walenburchios *homines esse* nusquam dicit Scriptura; nec extat ea de re aliqua traditio. Cur itaqve baptizati sunt? cur sanctæ Eucharistiæ facti participes? cur æternam vitam sperant? Sed fortè præsidio ipsis est infallibilitas Pontificis, dictata divinæ revelationibus respondentia promens. An verò eam ut *se homines esse*: certi essent, ipsi consuluerint; & an ideo omnes recens nati infantes deferri debeant ad Pontificem, ut homines, & baptismi capaces esse pronunciet, intelligentibus existimandum relinqvo.

§. XXVII.

Dum verò *Secundò* illud imminere periculi censent, ne redigatur fides *ad lubitum consequentiarum*, ut loqvuntur; ipsaqve conclusio ex altera præmissarum philosophicâ, alterâ theologica fluens, suspectæ veritatis insimuletur: illud in hunc modum dirimitur. Quoties in disciplina quâdam cum principio proprio aliud, diversis disciplinis commune principium, ad conclusionis illationem concurrat, tunc illud dicitur absolutè Conclusionis principium, à quo ipsa tanquam à principio disciplinæ proprio per se & formaliter dependet. Nam commune licet etiam ab eo conclusio dependeat, tamen quia indifferens est ad plures diversarum disciplinarum conclusiones, non solet absolutè ejus principium nominari. Sicut enim causa universalis, (ut hoc utar simili,) particularium effectuum vera causa est, v. g. Deus causa generationis, quæ vel homo vel leo producitur: nec tamen particularis effectus ab illa, sed à particulari causa, quippe à qua ad certam speciem determinatur, suam denominationem accipit, quandoquidem Deus non dicitur hominem vel leonem generare sed homo, qui est particularis & determinata causa, generat hominem, leo leonem: ita in qualibet disciplina id con-

H

clu-

clusionis principium vocatur, & quò ipsa ad certam specie-
ciem disciplinæ determinatur: quæ determinatio non est
à communi, sed à cuiusvis disciplinæ proprio principio.
Id quod benè illustrari potest verbis *Petri Harzadi de Men-*
doza disp. Phys. X. Sect. IV. §. XXXV. scribentis: *Adverte,*
determinationem explicari propositione causali, verbi gra-
tia: Deus & ignis concurrunt ad calefactionem: Concur-
sus Dei ex se in actu primo est indifferens ad calefaciendum,
& infrigidandum: unde in solo Deo, ut est precise causa
universalis, non intelligimus, cur ejus actio esse debeat cale-
factio potius, quàm infrigidatio: Unde non dicimus, hanc
actionem esse calefactionem, quia oritur à Deo; nam & in-
frigidatio oritur à Deo: at verò ignis ex se est determina-
tus ad calefaciendum, nec enim est indifferens ad infrigi-
dandum, & tum concipimus ignem petentem concursus Dei
ad agendum, intelligimus eos concursus esse ad calefacien-
dum. Ecce hæc vera causalis; hæc actio est calefactio quia
oritur ab igne: Hinc quærenti, cur motus calefactionis
calefactio non infrigidatio sit, non rectè responderetur; quia
est à Deo, sed quia est ab igne. Ergò causa calefactionis,
ut est calefactio, non Deus sed ignis dicitur. Idem valet
de Principio conclusionum. Propositio philosophica,
quæ cum theologica ad conclusionis divinæ illationem
concurrit, habet se ob suam communitatem & indifferen-
tiam ad diversarum disciplinarum conclusiones tanquam
causa universalis & indeterminedata; & sic licet conclusio-
nis Theologicæ principium sit, sicut Deus calefactionis
causa: tamen ut calefactio non propterea calefactio est, quia
à Deo, sed quia ab igne est: ita conclusio non propterea
Theologica est, quia ab illa; sed quia à Theologica propo-
sitione dependet. Illud autem, ut modò dictum, absolu-
te causa, seu principium alicujus effectus denominatur, à
quo effectus determinatè & quoad speciem dependet. Il-
lu-

lustrabimus rem exemplo: sic hujus syllogismi: *Quicunqve differunt, ut alius & alius, illi differunt realiter, atqvi Filius & Spiritus Sanctus. Ergo. Conclusio est Theologica: Major ista principio Philosophico nititur ex Sapientia primâ deprompto. Minor verò Biblica est & ex Johannis XIV. v. 16. constat. Jam roganti, ultra præmissarum gignat conclusionem quæ est de fide divina? respondemus dependere illam formaliter à minori propositione, ceu principio Theologiæ proprio, quod per se hanc Conclusionem producit. Quorsum verò referenda Major? Potest quidem illa suo modo etiam principium vocari: sed non est *effectiva* fidei divinæ nec per se probator *veritatis* coelestis; sed saltem *manifestiva* evidentiae, ut conexio Minoris & conclusionis eo reddatur apertior. Quo observato, non est ut ex quorundam mente distingvamus inter *principium conclusionis, & scientiæ theologicæ*, adeo ut majorem Philosophicam quidem conclusionis, non autem scientiæ theologicæ principium dicamus. Quam distinctionem non repudiamus quidem, nec alienam à re præsentis putamus, interim cum de principio cognoscendi proprio per se & formaliter tali quæstio sit: non est quod præter necessitatem ejusmodi distinctio fingatur. Ita nos informavit *Magnificus Dn. D. Waltberus, Præceptor ac Patronus summoperè venerandus in Theologia Polemica MSS. Controv. III.* Neque verò quicquam evincit, obiectio à Walenburgiiis allata, *in Somniis Polemosophiæ Sophistica p. 51.* Si alterutra præmissarum, è quibus colligitur *articulus fidei ex ratione & consequentiis desumitur: sequitur articulum fidei humane rationi adscribendum esse: cur? quia conclusio sequitur partem debiliorem.* Nam in quantitate saltem & qualitate non verò in nobilitate vel ignobilitate principii & medii termini, Conclusio ad partem debiliorem inclinat. Deinde à principio remoto &*

communi ad p. S. mum atque proprium concludere vel non licet: Ea enim, quæ est rationis, mediatè saltem ad conclusionem concurrat: Immediatè verò illa constituit articulum fidei, quæ revelationis est, & locum a seo minoris occupat. vide *Accombronium in Obscuriora Aristotel. p. 75. Musæum de Usu principiorum rationis in Theologia lib. II. cap. 13.* Equidem non nihil opponit *Andreas Birnbeckius*, qui cum *B. Chemnitium in Philosophia Sobria* allegasset, *Meisnerum* fortè nominaturus, ita *B. Bebelium* aggreditur: *Talis est connexio duorum extremorum inter se in conclusione, qualis fuit eorundem connexio cum medio in præmissis: atqui, quando una præmissa est incerta, obscura, contingens, connexio duorum extremorum cum medio erit tantùm incerta, obscura, contingens; licet enim vi præmissæ certæ, evidentis, necessariæ existentia unius extremi & medii sit certæ evidens, necessaria: tamen conjunctio ejusdem extremi, cum alio in medio, quæ sit ultimatè per alteram præmissam, incertam, obscuram, contingentem, erit tantùm incerta, obscura, inevidens: ergò pariter connexio duorum illorum extremorum inter se, in qua consistit conclusio, erit incerta, obscura, inevidens. In Defensione Methodi Augustiniana p. 72.* Quæ si quicquam efficeret argumentatio; per eandem connexionem nec illa procederet; quæ instar galeæ utuntur Pontificii: *Omnis Petri successor est is in quo semper fundata est Ecclesia, nullis partibus inferorum superabilis: Innocentius Papa est successor Petri E. Innocentius Papa est is quo super fundata est Ecclesia.* Nam, nec Major Scripturæ est, sed incerta, obscura, inevidens; nec sequioris generis Minor, quippe quæ propositione nihil obscurius est: qualem ergo hinc conclusionem sibi polliceantur? Deinde perquam falsum est, quod in Syllogismis ejusmodi mixtis altera connexio cum medio sit incerta, obscura, contingens: principiis enim nititur certis, evidentibus, necessariis, quæ sen-

ensu & experientia firmata in tantum . pro cer-
in quantum non probatur contrarium. Præterea in-
dignum Philosopho est evidentiam & certitudinem pro
Synonymis objicere, vel saltem inter se confundere: Pl-
rimum sane hæc differunt. Cognitio supernaturalis &
des divina certa est, nixa auctoritate DEI loquentis infal-
libili; non autem evidens, sed ænigmatica & Specularis,
ut ex sacris constat. Quod tandem cum Veronio Wa-
lenburchii petunt, ut omnes consequentiæ elicite, osten-
dantur in Scripturis pag. 86. illud profecto postulatum ni-
mis iniquum est. Nam quorsum tandem evasura res esset,
si tantam tamque infinitam propositionum multitudi-
nem quæ in omnes vitæ & fidei nostræ casus se exerit, in
Scripturis vellemus expressam? *Dum enim homines docent
sacra litera, supponunt usum rationis, & ea ab intellectu
adminicula, sine quibus homo nec mysteria nec quicquam
aliud doceri potest, ut disserit Calixtus in Digressione p. 264.*

§. XXVIII.

Sed videtur hoc ipsò futurum, ut recta ratio iudex
cùm bonæ consequentiæ, tum ipsius conclusionis, adeo-
que fidei orthodoxæ norma constituatur. Atque hoc
tertium illud est, quod ad destruendum consequentiarum
usum supra attulerunt. Verum iterum pro nobis respon-
det Augustinus cum rationem à normandi usu eximit,
nec nisi iudicium animadversionis rem normatam con-
sequens, ipsi relinquit. *Veritas connexionum non à nobis
instituta sed animadversa est. Nam est in rerum ratione
perpetua & divinitus instituta: Sicut qui narrat ordinem
temporum, non eum ipse componit, aut ille qui demonstrat
sidera non à se, vel homine aliquo, rem institutam demon-
strat: Sic etiam qui dicit, cum falsum est quod consequi-
tur, necesse est, ut falsum sit quod præcedit, verissime dicit
neque ipse facit, ut ita sit, sed tantum ita esse demonstrat.*

de Doctr. 2. c. XXXI. XXXII. Ut enim 'Archite-
ctus oculi benencio tum demum videt, cum amussis
lignum rectè accommodata est, quid in ligno curvum sit
vid rectum: Sic Theologus rationis & quæ hinc nata
Dialectices opera videt, qualis sit consequentia quam-
que firma aut debilis sit ad eliciendam ex præmissis con-
clusionem. Interim sicut oculus quo judicat architectus
non est iudex recti vel obliqui, sed regula vel amussis;
ita rationis in colligenda veritate usus non est Iudex ve-
tatis illius, sed velut oculus quo videtur, Spiritus autem
auctus in Scriptura loquens conclusionis illius quæ certa
& de fide, auctor est. Consule *Disput. Salmurienses P. I.*
. 110. seqq. Præterea inter iudicium consequentiæ quod
vocant Logici & iudicium consequentis distingvendum.
Tamen si enim prior actus rationis sit: posterior tamen ex
sublimiori quodam principio dependet, ita Logicus de
consequentia medica iudicare potest, quo ipso tamen non
statim est medicus, qui sibi rei ipsius dijudicandæ facul-
tatem vendicet. Denique à *ratione armatâ principis su-
pernaturalibus ad rationem nudam & principis purè na-
turalibus relictam non valet consequentia. Illa iudicare
potest, non hac. Unde Theologus saepe advertit consequen-
tias vacillare, quæ purus & merus logicus iudicaret necessa-
rias, inquit Scherz. in AntiBellarmino disput. I. p. 24. Quod
si vero cum Jodoco Keddio, obloquatur P. Maimburgius:
Arrianos, Sabellianos, Anabaptistas & nullos non hæreticos
pari jure ad Scripturam provocare, eandemque in suas deri-
vare areolas, & consequentias inde elicere vel absurdissi-
mas: Meth. Pacif. c. IV. Id verò ejusmodi est, quod dudum
discusserunt Theologi nostri, factò inter sensum illatum seu
adscititium, ac nativum seu innatum, discrimine: Ipsum-
met inferorum Dominum pro fraudibus suis allegasse &
contorsisse Scripturam novimus; quod tamen non impedi-
vit, quin ex eadem veritatem asseruerit Servator & fortiter
vin-*

indicarit. Vide latius hæc diducta ab *Armano ad XII. Propositiones Keddian*
præfert quendam A. C. addictum Lips.

§. XXIX.

Ultimum, quod illi pro consequentiis profligan-
ducunt, illud est: *omnem hominẽ mendacem ac in conseque-*
tia sua deducenda errori obnoxium esse. Verum conceditur
quidem, in sensu diviso hominem sibi relictum nec divin-
præfidiis utentem, in errorem propendere: Sed negatu-
in sensu composito, si præfidiis quibus divinitus contra actu-
alem errorem munitus est, utatur: Si e. g. connexio ejus
nullam bonæ consequentiæ formam impingat; Si præmissa
unã utatur revelata, & ea quæ è ratione mutuò est petita, si-
ne omni instantia sit verissima: Tum sensus atq; intellectus
positis omnibus ad sentiendum requisitis errare nequit, uti
tradit Philosophus l. 2. de anim. c. 6. t. 63. Forent alioquin o-
mnia incerta, nec ipsum contradictionis principium sibi
constaret: *idem simul esse & non esse*, revocanda esset in Ec-
clesiã Schola Pyrrhonia, nihil deniq; in solidũ crederetur.
Sed humana ratio inquirunt, *Batavi p. 109.* sæpe aberrat & cæ-
spitat. Et illud quidem negari non debet. Verum idem dici
potest de oculis qui aliquando caligant, & de auribus, quæ a-
liquando tinniunt, aut ambiguo sono falluntur, unde in-
ferri non potest configendos esse oculos, aut nunquam
auribus fidendum esse. Sic nec sequitur, abstinendum esse
a ratiocinatione, quamvis interdum ratio deflectat à verò.
Nam cur mihi non perinde liceat, Sophistæ legenti locum ex Apo-
stolo dicere, nimium fidei oculis, oculi enim humani aliquando ca-
ligant. Et fortasse non ita scriptum est, ut tu legis. Nempe oscitan-
ter locutus est Paulus, cum dixit, fidem esse ex auditu, immemor au-
ditum aliquando falli. At certè humana ratio nunquam fallitur,
quando sequitur Scripturam Duce[m]: qui enim ex Scriptura dicit
omnem hominem esse peccatorẽ, non potest decipi si inde colligat

Carolum esse peccatorem quandoquidem Carolus homo est. Id

quod ulteriori probatione non indiget. *Vid. Disputa-*
tat. Sedan. T. 1, p. 86. seq

Specus Dissertationis.

bujus Me-

Instituti ratio indi-

§. IV. Augustiniana Methodi
Momentum I.

§. V. Momentum II.

§. VI. Momentum III. una cum
rationibus exponitur.

§. VII. de primo Auctore dis-
quiritur, ubi Ant. Faber. & Jacob.
Perronius excusantur.

§. VIII. Fundamenta jecisse
Renatum Benedictum Andega-
vum, extra dubium ponitur.

§. IX. Differitur de Jo. Con-
tierio.

§. X. Methodus Veroniana &
Nihusii Ars Nova expenditur.

XI. Valeriani Methodus cum
Augustiniana contenditur.

XII. Principes ac illustres vi-
ros Valeriani artibus deceptos es-
se edifferitur.

XIII. Agitur de Methodo Ri-
cheliana.

XIV. de Keddiana.

XV. de Maseniana.

XVI. de Methodo Pacifica
Maimburgii.

XVII. De Jac. Ben. Bossueti
Expositione doctrinae Catholicae
traditur, quâ Turenne Dux, mul-
tique Illustres in Gallia Viri ad

Romanensium sacra perducti s

XVIII. Inverso argumento, Do-
natistarum potius quâ Augusti-
ni banc Methodum fuisse evinci-
tur.

XIX. Discutitur momentum
Methodi Augustiniana I.

XX. Confutantur rationes &
qualis disputandi processus insti-
tui debeat, ex Dialecticis planum
evadit.

XXI. Momentum I. cum
destruitur ex legibus Dialectico-
rum, quâ probandi vices Respon-
denti permittunt.

XXII. Ipsosmet Pontificios con-
tra B. Lutherum probandi mu-
nere defunctos esse, ex rebus gestis
docetur.

XXIII. Diluuntur quorundam
objectiones.

XXIV. Methodus Mathemati-
ca ad res sacras & morales ap-
plicata, ex occasione impugnatur.

XXV. Disciplina Syllabica, quâ
tertium momentum Methodi Wa-
lenburg, continet, perstringitur.

XXVI. Discutiantur rationes
objectæ.

XXVII. Syllogismus expenditur
in quo altera præmissarum Philo-
sophica altera Theologica.

XXVIII. Utrum ratio in con-
sequentiis fallat, deciditur.

XXIX. Solvuntur Objectiones.

Do-
sti-
ci-

um

E
sti-
um

um
ico-
on-

con-
mu-
estis

lam

ati-
ap-
tur.
qua
Wae
ur.
ones

itur
bilo-

con-

nes.

05 A 1922

ULB Halle 3
003 785 017



V017





